N° 2136.
P.49.7.17

PHYSICA SACRA

JOHANNIS JACOBI SCHEVCHZERI,

Medicinæ Doctoris, & Math. in Lyceo Tigurino Prof.
Academiæ Imperialis Naturæ Curioſor. LEOPOLDINO-
CAROLINÆ Adjuncti, Socc. Regg. Anglicæ
ac Pruſſicæ Membri.

ICONIBVS ÆNEIS

illuſtrata

procurante & ſumtus ſuppeditante

JOHANNE ANDREA PFEFFEL,

Auguſtano, SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
Chalcographo aulico.

TOMVS II.

A TAB. CCXXVI. ad CCCCXVI.

AVGVSTÆ VINDELICORVM & VLMÆ,
M DCC XXXII.

LEVITICI Cap. IX. v. 24.
Ignis facer ΟΥΡΑΝΟΘΕΤΗΣ.

III. Buch Mosis Cap. IX. v. 24.
Heiliges Himmel-Feuer.

H. Sperling sculps.

TAB. CCXXVI.

Leuit. Cap. IX. verſ. 24.

Et egreſſus eſt Ignis à facie DOMINI, deuorauitque in Ara Holocauſtum & Adipes, quod videns uniuerſus populus lætis vocibus exclamans, ceciderunt in facies ſuas.

Et ecce egreſſus Ignis à DOMINO, deuorauit holocauſtum, & adipes, qui erant ſuper altare. Quod cum vidiſſent turbæ, laudauerunt DOMINUM, ruentes in facies ſuas.

IGne patrat DEUS Miracula, nunc *urente*, nunc *non urente*, utrobique extra & ſupra Naturæ vias, ſummus Naturæ Author ac DOMINUS. Pepercit Miraculo Ignis Danielis ſociis, quos vel momento deuorare debebat velociſſimus particularum motus. Hujus generis Miracula in Sacris habemus pauca, in mediis Seculis, ſi Hiſtoriis & Ordaliis fides, multa. Multa in Pandectis ſacris Ignis præſentis, urentis & conſumentis, ubi juxta Leges Naturæ non adeſſe poterat rapax hoc Elementum, cœlitus à Creatore Ignis immiſſum. Non ſanè ſuborietur dubium ei, qui Hiſtoriæ hoc Capite recenſitæ attendit circumſtantias. Imponit Aharon Altari Sacrificia pro Peccatis holocauſta, & euchariſtica, ex Bobus, Hircis & Arietibus, corporibus Sanguine & Lympha madidis: opus eſt pro eorum conſumptione Ignis Elemento: promittitur Viris DEI manifeſtatio Gloriæ DEI, & ecce! *egreditur Ignis à facie DOMINI, deuoratque in Ara Holocauſtum & Adipes*, imò Cultum Ceremonialem, Ordinem Sacerdotalem inſtitutum Miraculo hocce obfirmat, atque obſignat. Accidit item in Sacrificio Dauidis ad Peſtem amoliendam oblato 1. Par. XXI. 26. in Templi initiatione 2. Paral. VII. 1. 2. 3. Eliæ tempore pro aſſerendo veri DEI cultu contra Baalitas. 1. Reg. XVIII. 38. 39. Hujusmodi Ignis cœlitus immiſſus habebatur pro ſacro, ut ex mandato DEI perpetuò ſeruari debuerit inextinctus. Leu. VI. 12. 13. *Ignis in Ara incenſus maneat, nec unquam extinguatur, quin Sacerdos per ſingulos dies mane Ligna in Ara incendat, & aptet ſuper eam Holocauſtum* —— *Ignis ſemper accenſus ſit in Ara, nec unquam extinguatur. (Ignis autem in Altari ſemper ardebit: quem nutriet Sacerdos, ſubjiciens ligna manè per ſingulos dies & impoſito holocauſto* —— *Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in Altari.)* Et ſeruatus hic Ignis usque ad Captiuitatem Babylonicam. Habebant & Gentiles hujusmodi Ignem perpetuum ſeu inextinctum, & ſtudiosè ſeruabant. *Græci* Delphis & Athenis πῦρ ἄσβεσον apud *Dionyſ. Halicarn.* L. II. in *Ammonis* quoque delubro, *Silio* teſte L. III.

In reſtincta focis ſeruant altaria flammæ.

Romani Ignem inextinctum Veſtalibus concreditum. *Ferunt* apud *Ammianum* L. XXIII. Brachmanes, *ſi juſtum eſt credi etiam Ignem cœlitus lapſum apud ſe ſempiternis foculis cuſtodiri.* Exempla hujus generis alia ſilentio prætereo. Lege ea in *Bochart Hieroz.* P. I. L. II. c. 35.

TAB. CCXXVII.

Leuit. Cap. X. verſ. 2.

Et egreſſus Ignis à Facie DOMINI deuorauit eos, mortuique ſunt in conſpectu DOMINI.

Egreſſusque ignis à DOMINO, deuorauit eos, & mortui ſunt coram DOMINO.

VIdimus paulò ante *Ignem* Miraculo Sacrificia conſumentem DEO accepta; ecce nunc idem Elementum rapax deuorans ipſos Sacerdotes, Sacri Ignis contemptores, alienique introductores! Fuit ille Gratiæ Diuinæ Symbolum, hic Iræ, miraculoſus uterque. Hic certè, qui Nadabo & Abihu, Aharonis Filiis fuit fatalis, Moſe patruo teſte, *egreſſus fuerat à Facie* DOMINI, illapſus Legis Diuinæ transgreſſoribus ὡς ἀπὸ μηχανῆς, mox atque *attulerant coram DOMINO Ignem alienum, de quo nihil eis præceperat DOMINUS.* v. 1. ut Igni extemplo perirent, qui Igni peccarunt. Qualiscunque is fuerit, ſeu fulmineus, ut videtur, ſeu alius. Fulmineus ſi fuit, ſuffocans fuit, non conſumens. In cineres haud fuiſſe redactos patet ex v. 4. ubi *Miſael* & *Elzaphan* juſſi fuerant *efferre fratres ſuos è Sanctuario extra Caſtra, (tollere fratres de conſpectu Sanctuarii, & aſportare extra Caſtra)* & ex ipſo v. 2. quo *mortui* dicuntur *in conſpectu* DOMINI, non in cineres collapſi.

TAB. CCXXVIII.

Leuit. Cap. X. verſ. 9. 10. 11.

9. Vinum & Siceram non bibes, tu & filii tui, qui tecum ſunt, quum ingreſſi fueritis Tentorium Conſtitutionis, ne moriamini: ſtatutum hoc ſit ſempiternum per poſteritates veſtras.

10. Et ut diſcernatis inter ſanctum, & inter profanum, inter immundum & mundum.

11. Utque doceatis filios Iſrael omnia ſtatuta, quæ DOMINUS ad eos per Moſen loquutus eſt.

Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in Tabernaculum teſtimonii, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras.

Et ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum.

Doceatisque filios Iſrael omnia legitima mea, quæ locutus eſt DOMINUS ad eos per manum Moyſi.

NOn Vino ſoli, ſed omnium Vegetabilium ſuccis expreſſis, ex Plantis, Fructibus, Seminibus, ineſt inebrians vis, Siceræ nempe, Pyraceo, Pomaceo, Vino Palmeo, Cereuiſiæ &c. quam moderni Philoſophi adſcribunt Aeri valde compreſſo. Hic nempe, calore Sanguinis magis adhuc dilatatus ampliat ſpeciatim Cerebri vaſa, utpote aliis minus reſiſtentia, Arteriis aliis tenuiora. Ampliato horum diametro influxus Succi qualiscunque neruei fit tardior in extrema Membra, juxta Motus Leges: hinc Somnolentia, vel Somnus, imo hinc in ipſo Cerebro tumultuantes varii motus, inordinatæ Cogitationes, Deliria, & qui in hujusmodi eſt ſtatu, præceps labitur ad actiones incongruas, vel etiam ad officia ſua obeunda eſt ineptus. Poſcit namque actionum, quas Ratio dictat, exercitium corpus ſanum, circulum Sanguinis ordinatum, tenſionem fibrarum ei adæ-

LEVITICI Cap. X. v. 2.
Igne peccantes igne necantur.

III. Buch Mosis Cap. X. v. 2.
Hünel-Feuer tödtet fremdes Feuer.

LEVITICI Cap. X. v. 9. 10. 11.
ΠΑΡΟΙΝΙΑ Sacerdotum.

III. Buch Moſis Cap. X. v. 9. 10. 11.
Trunckene Prieſter.

G. D. Heiman. sculpt.

adæquatam, Spirituum Animalium influxum regularem. Ex eodem Ratiocinio offendit *Verdries Æquil. Ment. & Corp.* p. 62. quomodo ex Ebrietate *non ſolùm partes, inprimis Muſculi, debilitentur, ſed etiam Cerebro, ejusque fibrillis grauatis, oppreſſis, arteriarumque ſolitis pulſationibus vibratis, animæ vigor, qui naturali Cerebri tenſione & temperie continetur, pereat, ortisque ita inconditis impreſſionibus, mens loco moueatur, tandemque accedente, ob defectum influentis liquidi, organorum ſenſoriorum relaxatione, ſomnus obrepat, ſed turbulentus atque inſomniis plenus, pauidusque miris rerum imaginibus; cum confuſis in Cerebro fibris, agitationibus, ab extraordinaria illa pulſatione, confuſæ in Mente cogitationes neceſſariò reſpondeant.*

Quid mirum igitur, ſi ſapientiſſimus & ſupremus Legislator, deterrimam Ingeniorum Peſtem, Ebrietatem arciturus, Sacerdotes ſuos ἀοίνους eſſe voluerit: Cultum præſcribebat ſanctiſſimum, puriſſimum, quem in minimis quoque circumſtantiis ſeu punctis obſeruari voluit. Ad hujusmodi certè Cultum, eumque Rituale, quadrare haud poterant Homines Vino dediti, ſed quàm maximè ſobrii, ſibi ſemper conſtantes, quorum debebat ſeruari ὁλόκληρον τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως 1. Theſſ. V. 23. Tantò autem neceſſaria magis erat hæc lex Iſraelitis, quia diu vixerant inter Ægyptios vini, &, uti videtur, Cereuiſiæ potui largiori aſſuetos. Teſtis *Dio* apud *Athenæum* ad Lib. I. finem. Φιλοίνους καὶ φιλοπότας τὲς Αἰγυπτίους γενέσθαι — ὥστε τὸν ἐκ κριθῶν γενόμενον πίνειν &c.

In Chriſtiano Orbe vetat Ebrietatem contemptus, non Lex ciuilis: permittit, imo tantùm non præcipit trium ille Literarum Tyrannus, Mos: ut paſſim videas ebrios Sacerdotes conſcendere Cathedram, Judices ſolium, Medicos adire lectos, alios fungi muneribus aliis. Id quod ſanè non licuit Gentilibus, hac in parte Sanioribus, quàm ſumus nos. Apud *Carthaginenſes* abſtemii debebant eſſe in Caſtris milites, domi Serui & Ancillæ, perſonæ publicæ, Magiſtratus, Judices, Senatores, quam diu erant in officio, neque Vini uſum excuſabat niſi Morbus. Maximi fecit publicam hanc Legem *Plato*, qui *de Legibus* II. vino interdixit nutricibus, & pueris usque ad Annum decimum & octauum. En *Carthaginenſium* Legem ipſam, ſicuti eam habet *Euſebius Præp. Euang.* L. XII. c. 25. μηδένα ἐπὶ στρατοπέδε γένεσθαι τότε τῶ πόματος, ἀλλ' ὑδροποσίας σύγγινεσθαι τῶτον τὸν χρόνον ἅπαντα. Καὶ κατὰ πόλιν μήτε δῆλον γένεσθαι μηδέποτε, μήτε ἄρχοντας τῶτον τὸν ἐνιαυσὸν, ὃν ἂν ἄρχωσι, μηδ' ἂν κυβερνήτας, μηδὲ δικαστὰς ἐνεργὲς ὄντας ὅτε γένεσθαι τὸ παράπαν, εἰ μὴ σωματικίας ἢ νόσων ἕνεκα. Sacerdotes ſi qui ſunt inter Chriſtianos, ut ſunt benè multi, vinoſi, ablego ad *Ægyptios*, quorum Sacerdotes teſte *Porphyrio de Abſtin.* L. III. §. 6. vel erant prorſus abſtemii, vel ſaltem valde ſobrii, ne fortè immoderato vini uſu contraherent debilitates neruorum, Capitis, Animi, ſeſeque ad vetitas præcipitarent concupiſcentias. Ὅτε οἱ μὲν ἐδ ὅλως, οἱ δ' ὀλιγιςα ἐγεύοντο, νεύρων αἰτιώμενοι βλάβας καὶ πλήρωσιν κεφαλῆς, ἐμπόδιον εἰς ἔυρεσιν, ἀφροδισίων τε ἔφασαν αὐτὸν ὀρέξεις ἐπιφέρειν. Produco Gentilem, imò omni Religioni ſuſpectum, *Lucretium* Ebrietatis damna & incommoda ita deſcribentem *de Rer. Nat.* L. III.

Denique cur Hominem cum vini vis penetrauit
Acris & in venas diſceſſit diditus ardor,
Conſequitur grauitas membrorum? præpediuntur
Crura vacillanti? tardeſcit Lingua? madet Mens?
Nant oculi? clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt?
Et jam cætera de genere hoc quæcunque ſequuntur,
Cur ea ſunt niſi quod vehemens vehementia vini
Conturbare Animam conſueuit corpore in ipſo.

Sed non à Vino duntaxat, abſtrahere debebant, qui Sacris fungi debebant officiis, verùm & ab omni שֵׁכָר *Schecar*, potu quouis inebriante, qui Græcis, detortâ paulùm voce Σίκερα, Σικέρα, Latinis *Sicera* dicitur. Hujus Potus mentio fit paſſim in Veteri Nouoque Codice. Num. VI. 3. Jud. XIII. 4. Prou. XXXI. 6. Jeſ. XXIX. 9. Luc. I. 15. & omnibus his Locis vino, οἴνῳ, contradiſtinguitur. Hunc eſſe, quem dedimus, *Siceræ* ſenſum, conſtat non ſolùm ex circumſtantiis Textus, ſed etiam teſtimonio *Baſilii*, qui per Siceram intelligit πᾶν τὸ δυνάμενον μέθην ἐκποιῆσαι, omne id, quod potis eſt Ebrietatem inducere; *Tertulliani*, qui *Lib. de Jejun. Ebriamen* Siceram vocat; *Hieronymi ad Nepotianum de vita Clericor.* ubi *Sicera Hebræo ſermone omnis potio nominatur, quæ inebriare poteſt, ſiue illa, quæ Frumento conficitur, ſiue pomorum ſucco, aut cum faui decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut Palmularum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus Aqua pinguior coloratur.* Addi poſſent *Iſidor. Orig.* L. XX. c. 2. *Zonaras ad Canon. Apoſt.* III. *Heſychius Lex.* Conſtat ita, Siceræ nomine venire poſſe Cereuiſiam, Pomaceum, Pyraceum, Palmeum Vinum, Hydromel, & quæ ſunt hujus generis alia. Legatur omninò *Joh. Henr. Meibomii de cereuiſiis potibusque & ebriaminibus extra Vinum aliis Commentarius.* Helmſt. 1671. 4. *Hiller Hierophyt.* P. I. p. 321. qui & Siceræ nomine generali Vinum comprehendit.

TAB. CCXXIX.

Leuit. Cap. XI. verſ. 2.

Loquimini ad filios Iſrael in hanc ſententiam. Hoc eſt Animal, quod comedetis ex omni Jumento, quod eſt ſuper Terram.

Dicite filiis Iſrael: Cuſtodite omnia quæ ſcripſi vobis, ut ſim DEUS veſter. Hæc ſunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ.

DIgniſſimum indagine eſt *Animalium mundorum* ab *immundis* diſcrimen, prouti id Lege Diuinâ apud Judæos eſt latum; tantò autem magis, quòd inter ſe non concordent Sacrarum Literarum Interpretes. Si *Clerico* & aliis fides, pro fundamento ſtant Rationes merè politicæ. Nec aliud, ut alibi, ita & heic agit πολιτικώτατος Moſes, quam ut ſeſe ritibus & moribus, quos Iſraelitæ Ægypto extulerant, accommodaret. De *Ægyptiis* autem conſtat, eos pro antiquiſſimo more Animantia quædam habuiſſe pro mundis, pro immundis alia, imò ex cauſis Politicis nil habuiſſe rei cum populis illis, qui immunda vel habuerunt in cibos, vel aliâs tractarunt. Conſtat id ex Gen. XLIII. 31. *Non poſſunt Ægyptii comedere cibum cum Hebræis, ſiquidem abominandum hoc eſt Ægyptiis. (Illicitum eſt Ægyptiis comedere cum Hebræis & profanum putant hujusmodi conuiuium.)* Erant namque hi rituum antiquorum tenaciſſimi, πατρίοισι δὲ χρεώμενοι νόμοισι ἄλλου ἐδένα ἐπικτέωνται, teſte *Herodoto* L. II. c. 78. Nouitatis omnis oſores. Eò nempe tendit hujusmodi Legum juſtitia & rigor, ne cum ritibus peregrinis inferantur peregrini mores, alia vitæ ratio, exotica vitia, imo Regioni noua Religio, Regimen nouum. Quo ipſo pateſcit ὡς ἐν παρόδῳ, quam ſæpe & facile poſſit Lex quæpiam vel Politica, vel Medica, transire in caſtra Religionis, imo arctiſſimo vinculo alligare Gentes integras. Arctius enim nullum eſt illo Religionis. Proſtant Exempla in ipſo Chriſtianiſmo. Quod Ægyptiis erat modus viuendi, forte diæteticus, vel à Gentibus aliis diſtinctiuus, Nationi veluti Characteriſticus, id transiit in Religionis Articulum, eumque fundamentalem, ut qui vel de immundo quopiam Animali comederit, vel id duntaxat tetigerit, pro immundo fuerit declaratus, imo ſocietate humana excluſus. Ita ſeſe res habet cum adiaphoris, quæ in Dogmata, ſubtili quadam μεταμορφώσει, tranſeunt. Ita, infit *Clericus*, prudenti Legislatori Moyſi non alia fuit intentio, quam ut populo ſuo præſcriberet certas viuendi regulas, eumque ſic à Gentium aliarum commercio abſtraheret, inprimis & Idololatria. Huc videtur collimare, quod legitur Leu. XX. 24. 25. 26. *Ego DOMINUS DEUS veſter, qui ſegregaui vos à populis. Vos igitur diſcrimen facite inter jumentum mundum & immundum, inter Auem immundam & mundam, ne contaminetis animas veſtras in jumentis & auibus, atque in omni eo, quod reptans ſcaturit Terra, quod ſegregaui à vobis, ut immundum. Eritis itaque mihi ſancti, quia Ego DOMINUS ſanctus ſum, & ſegregaui vos de populis, ut eſſetis mei.* Ita Lex illa Ceremonialis transit in Politicam ſiue Ciuilem.

Hoc ſi ita foret, ſuperſedere facile poſſem hujus Capitis Commentario, quem ſcribere propoſui non tanquam Politicus, ſed ut Philoſophus: id eſt, ſi diſcrimen illud Animalium mundorum & immundorum non dependet niſi ab opinione & arbitrio vel Ægyptiorum, vel Iſraelitarum, in rei ipſius natura minimè fundata. Et ſuſpicione haud caret, quod prætendit *Clericus*, accommodâſſe ſe Legislatorem ſummum mori Ægyptiorum veteri, quem aſſumpſerint ipſi Iſraelitæ. Poſito, fuiſſe Animalia utrique huic Nationi ex æquo immunda, nondum tamen ſequitur, quod ille concludit; Poterant quippe cauſæ naturales & hos & iſtos mouere ex æquo, ut hoc illudue Animal declararent pro mundo vel immundo. Et poſito, eſſe Animalia nonnulla, quorum puritas vel impuritas intuitu cauſarum naturalium nondum adeò in euidenti eſt poſita, non tamen hæ ſtatim poſſunt negari, ſed accuſari debet potius noſtra vel Ignorantia, vel etiam negligentia in indagando. Sed de plerisque, ſpeciatim Ruminantibus, conſtabit, eſſe ex Hiſtoria Naturæ moderna cauſas Sole veluti clariores, forte & propterea primis Terræ habitatoribus cognitas. Sane diſcrimen mundorum ab immundis valuiſſe apud antediluuianos conſtat ex Gen. VII. 2. ubi jubetur *Noah ex omni jumento mundo accipere ſeptena, marem & fœmellam ejus, de jumento verò immundo bina, marem & fœmellam ejus.* Diſcrimen hoc ipſi Ægyptii ſcire poterant facile per traditionem à Chami poſteris, ut Iſraelitæ à

Semo.

LEVITICI Cap. XI. v. 2.
Animantia munda et immunda.

III Buch Mosis Cap. XI. v. 2.
Reine und unreine Thiere.

Catharina Sperlingen sculps.

LEVITICI Cap. XI. v. 3.
Ventriculi quatuor Caprilli.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 3.
Vierfache Ziegen-Magen.

I. G. Pintz sculps.

Semo. Viguit idem diſcrimen & apud alios populos: *profanis* & *fœdis*, uti vocabantur, Animalibus neque ad cibum uſi ſunt Romani, neque ad Sacrificia. Clariora hæc, quæ generatim nunc propono, fient ex ſequentibus; meum namque erit, munditiei vel immunditiei veſtigia legere, &, ut ita loquar, prima ſtamina quærere in ipſa Natura.

Difficillima res eſt, fateor, ita exhaurire Capitis hujus ἀνάλυσιν, ut omnibus fiat ſatis, nil remaneat ſcrupuli: difficile, Scopulos, qui ſeſe offerunt, præternauigare feliciter, & absque periculo. Quodſi ſolis inhæreamus cauſis diſcriminis naturalibus, erunt Leges, nunc ordine examinandæ, pars Inſtitutionum Medicarum Diætetica, imo verò obſtringent adhuc Leges illæ, quotquot de Sanitate vel reſtituenda, vel conſeruanda, ſunt ſolliciti, fugienda erunt cane pejus & angue omnia Animalia immunda, in uſum trahenda ſola munda. Sed nec ſolas admittimus cauſas morales vel myſticas, DEUM Veneror, ut optimum Patrem, pro ſuorum ſanitate ſollicitum, ſed & ut Legislatorem ac Dominum, cui cauſæ potuerunt eſſe variæ hujus illiusue Præcepti, & multæ haud adeò usque cognitæ. Et nimium mihi quidem videntur moralizare Pontifex ille *Eleaſar* ante CHRISTUM, & poſt natum Saluatorem Patres benè multi, *Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, *Auguſtinus*, *Cyrillus*, qui in ea fuerunt vel ſententia, vel opinione, prohibuiſſe DEUM immundorum Animantium eſum, ne veluti per contagium inficeremur feritate Leonis, voracitate Lupi, Accipitris, aliis aliorum Brutorum vitiis: nimium allegorizare *Franc. Junius*, *Cunæus*, alii, qui ſoli inhærent explicationi myſticæ, vel Typicæ. Per medium ibimus tutiſſimi. Ea autem, quæ extra meam ſunt ſphæram, aliis lubens relinquo.

TAB. CCXXX.

Leuit. Cap. XI. verſ. 3.

Quicquid ex jumentis ungulam ſeparat, & ungulas fiſſura findit, ruminationem ſuam reuocans, hoc comedatis.

Omne quod habet diuiſam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis.

ACcedimus propius ad ipſum Animantium Catalogum, deſcenſuri per Genera ad ſpecies. In Metaphyſico ſenſu uti omnia opera DEI ſunt perfectiſſima, ita omnia Animalia dici poſſunt munda, etiam venenatiſſima, utpote quæ ſtructuram habent organicam, ſuæ Naturæ conuenientem, cibos aſſumunt ſibi congruos, functiones obeunt, quales obire debent. Venenata dicuntur, & immunda, reſpectu Hominis, cui vel in cibo, vel attactu, vel morſu nocent.

Prærogatiuam Dat Moſes, & jure, Animantibus mundis, ad cibos æquè ac Sacrificia idoneis, & Phyſici accurati perſonam induens characteres exhibet tum externos, cuiuis in ſenſum incurrentes, tum internos. Viſui eſt nemini non *Separatio Ungulæ*, & *fiſſio* ejusdem, abſcondita magis *Ruminatio*, ſed magis adhuc Ruminationis Mechanismus & Inſtrumenta. Hæc uti ritè capiantur, ſciendum, *Quadrupedia* diſtingui rectè in *ungulata* & *unguiculata*, *Ungulata* habere digitos, ſeu extrema pedum Ungulis tecta; eſſe autem *Ungulam* corpus durum, ſubſtantiæ corneæ concauum, extremos digitos tegens, ſupra quod Animal partim incedit. *Unguiculata*, quæ Digitorum extrema nuda, Unguibus tantùm adnaſcentibus armata habent. Ex *Ungulatis* alia ſunt Μώνυχα ſeu Μονόχηλα, *ſolidipeda*, *ſolidungula*, ut Equus, Aſinus; alia δίχηλα, *Biſulca*, quibus Ungula à ſummo ad imum bifariam eſt fiſſa. Hæc ipſa autem ſunt vel *Ruminantia*, de quibus noſter Textus, nempe Genera, *Bouinum*, *Ouinum*, *Caprinum*, *Ceruinum*, vel *non ruminantia*, ut Porci. Dantur & τετράχηλα, *quadriſulca*, Rhinoceros, Hippopotamus. *Unguiculata* denique ſunt vel διχηδέα, vel πολυχηδέα. v. *Raj. Synopſ. Animal. Quadrup.* p. 56. Legimus in noſtro Textu שֹׁסַע פַּרְסֹת *findens fiſſuram ungularum*, *in Schiile zertheilet*, id eſt, veluti in duos calceolos: Sunt quippe Ungulæ his Animantibus, quod nobis Calcei. LXX. emphaticè reddunt ὀνυχισῆρας ὄνυχίζον δύο χηλῶν, *findens fiſſuras duarum ungularum*, *Clericus* minus aptè *ungulam nulla parte aut membrana cohærentem*. Obſeruandum heic, ex *Rajo*, ipſa biſulca, Animalia ſtrictè loquendo eſſe τετράχηλα, quatuor ungulis inſtructa, duabus anterioribus, & totidem poſterioribus, ſed illas duntaxat eſſe fiſſas, quibus etiam Animalia incedendo innituntur, poſterioribus binis Ungulis longius diſſi-

tis, neque Terram tangentibus. Sed in verè dictis τετραχήλοις Ungulæ omnes quatuor in eadem ſunt circumferentia, ut ſuper iis ſtent & incedant.

Eſt Ruminatio, μηρυκασμὸς, ea Actio, qua Animantia Quadrupeda, *Ruminantia* hinc dicta, pabulum deglutitum ad Os reuocant, hîc iteratò maſticant, (hinc Germanorum *wiederkäuen*) rurſumque deglutiunt, donec repetitis multoties deglutitionibus, maſticationibus, digeſtionibus cibi aſſumti plenariè ſint excocti: ſiue, definiente ita *Peyero Merycolag.* p. 201. *actio ſiue motus naturalis intermittens ac alternus Ventriculi & maxillarum, cæterarumque partium Organicarum adjuuantium, quo deuoratus rudior cibus â paſtu ſenſim reuocatur in Os, mox Dentibus probè conteritur, ac poſtea iterum deglutitur, Animalibus quibusdam ad ſuam ipſorum ſalutem commodamque paſtionem, & Hominis utilitatem à DEO inſitus, ut rerum varietate ſapientiam iſte ſummam exereret.* Organa Ruminationi inſeruientia ſunt alia principalia, alia miniſtra. Ex illis primas tenet *Ventriculus*, in Biſulcis quadruplex, ſtructuræ artificioſiſſimæ, Laniis noſtratibus in omni ſua cohærentia *die Sultz* dictus. Primus & maximus κατ' ἐξοχὴν vocatur κοιλία, imo *Ariſtoteli Hiſt.* L. II. c. 17. κοιλία μεγάλη, *Venter, magnus Venter, Seuerino Pera, Perula*, aliâs *Rumen*, Gallis *la Pence, la Double*, Italis *la Trippa*, Anglis *the Cud*, vel, ex *Rajo, the Paunch, or Inward*, nobis *der Wanſt*, tantæ magnitudinis, ut in Bobus 50. Librarum pabulum complectatur, figuræ quodammodo rotundæ, externè veluti ſulco, internè prominente colliculo in duas partes diſtinctus, inſtructus, ut reliqui quoque Ventriculi 4. Tunicis, prima extima, extus læui, membranacea; ſecunda muſculoſa, artificioſiſſimè fabricata, ut & ſtructuræ & officii reſpectu Cordi comparari queat, fibris ſpiralibus veluti inuicem intercuſſatis, quarum conſtrictorio motu & ſuccuſſu inprimis fit illa pabuli ad Os repulſio: tertia membranaceo-neruea innumeris vaſorum & neruorum tubulis reticulata, & in papillas deſinens, quæ reconduntur in tunica quarta cruſtoſa numeroſiſſimæ veluti in vaginulis & exeruntur, ut internam Ventris ſuperficiem Ariſtoteles pronuntiauerit τραχεῖαν καὶ διειλημμένην; quæ cruſtoſa tunica loricæ vices præſtat, ad protegendam tunicam nerueam ab aſperitate pabuli, & coli inſtar trajicit humorem tenuem, quo alimonia maceratur ac reſoluitur. Eſt primus, de quo hactenus, Ventriculus Ruminationis præcipuum Inſtrumentum, alimentum recipit, retinet, macerando emollit, atterit, iteratis ſuccuſſibus ad os repellit, partem etiam alimenti ſatis maſticati, ruminati, digeſti ad ſecundum Ventriculum transmittit.

Secundus Ruminantium *Ventriculus* eſt κεκρύφαλος, *Theodoro Gazæ Reticulum, Seuerino ollula media teſſerata*, noſtratibus *die Haube, Hülle*, Belgis de Huyue, Anglis *the Paunch*, potius ex *Rajo the Honey comb*, Gallis *le Bonnet*, ob egregiam cum reticulo muliebri, quo capillos obuoluunt, conuenientiam, Italis *la Scuffia*; priori longè minor, angularibus cellulis innumeris, ſiue areolis faui ad inſtar veluti clathratus, & ſepimentis diſtinctus, in quibus cellulis ſuccus pabulo extractus ulterius macerando ac fermentando ſubigitur. Præter eas extuberant valuæ carnoſæ, aut labia craſſa, rugoſa, inter quæ canalis tum ad Lac lactentium vehendum, tum ad potum Animantium adultorum ulterius ad tertium Ventriculum deriuandum, porrò ad abſorbendam alimenti liquidiſſimam partem, & cibos nondum liquefactos arcendum.

Tertius vocatur ἐχῖνος, *Echinus*, quia ut Echinus aculeis internè horret, & eximia ſe corrugandi vi pollet. *Theodoro Gazæ Omaſus*, quo nomine aliâs Romani omnes Ventriculos cum interaneis, nobis *Kuttlen und Kröſs* ſignificarunt. *Seuerino conclaue cellulatum* à loculorum frequentia membraneis parietibus diſſeptorum. Noſtratibus *der Manigfalt*, ob membranarum plicatarum pluralitatem: hinc & Latinis *Centipellio*, Gallis *la Myre feuillet, Millet, Livre*; Italis *Centopelle*: Belgis *het Boek*: Anglis *the Tripe, Rajo the Manifold.* Figuræ eſt fere lunatæ, ſuperficies interna, ut dictum, multis veluti parietibus intergerinis diſſepta, nimirum in Ouillo & Caprillo genere 36. in Bouillo 88. limæ ad inſtar fere aſperis, quos inter alimonia à Reticulo huc transmiſſa veluti prelo comprimitur, effluente ſucco in Abomaſum, nam hic tertius Ventriculus non tam ad Ruminationem facit, quàm ad Digeſtionis perfectionem.

Quartus denique Ventriculus nuncupatur ἔνυξον, *Gazæ Abomaſus*, *Seuerino Ventriculus propriè dictus* ob affinitatem cum aliorum Animantium & ipſorum Hominum Ventriculo. Romanis forſan *Faliſcus*, conjectante *Jul. Cæſare Scaligero* ad *Ariſt. Hiſt. de Animal.* L. II. c. 19. cui & *Aſellus*. Noſtratibus *der Mägen*, Gallis *la Caillete*, ob coagulandi virtutem, qua pollet in confectione Caſei. Italis hinc *il Quagliv*: Belgis *the Rode*, Anglis *the Honey Tripe.*

Artificioſiſſimam hanc quadruplicis Ventriculi ſtructuram qui vel obiter introſpicit, is ſtatim videbit & judicabit, Sapientiſſimo Omnipotentis DEI conſilio & Decreto perfectiùs heic elaborari Chylum, qui veluti quinta quædam Eſſentia ex pabulo tot preſſuris, contorſionibus, ruminationibus, digeſtionibus, & fortè fermentationibus elicitur, & poſt in optimam tranſit carnem, multamque Pinguedinem. Et huic adeò perfectæ χυλοποιήσει inſeruiunt non duntaxat quatuor Ventriculi ante recenſiti, ſed & partes aliæ veluti miniſtræ ac ſociæ: *Muſculi Pectoris* atque *Abdominis* cum *Diaphragmate*, qui quò magis pleno ventre tenduntur, eò contra premunt fortius, ſicque bolorum aſcenſum è ventre promouent, Diaphragma in ſpecie non ſolùm ſuccutiendo, ſed & per vices

Gulam

LEVITICI Cap. XI. v. 3.
Fibræ primi ventris bovini.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 3.
Der erste Ochsen-Magen.

I. A. Corvinus sculps.



LEVITICI Cap. XI. v. 3.
Ventres Bovilli separati.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 3.
Vier abgesonderte Ochsen-Wägen.

I. A. Corvinus sculps.

LEVITICI Cap. XI. v. 3.
Omasus et gula.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 3.
Fetter Darm und Speis-Röhre.

M. Tiroff sculps.

Gulam conſtringendo, ne multi ſimul boli ſurgant, quod in Vomitibus contingit. Singularis denique *Oeſophagi* ſtructura, cujus fibræ muſculoſæ ſpiraliter ſeſe inuicem intercuſſantes non ſolùm multo robore detrudunt & retundunt bolos, ſed etiam per vices cedunt, ut mirum in modum canalis hic ampliari poſſit. E re autem duxi, pro faciliori intellectu, totam hujus Artificii prorſus ſingularis & diuini machinam Iconibus ſiſtere ante oculos, petitis mutuo ex *Merycologia Peyeri.*

Siſtit ſe heic veluti in Tab. CCXXX. proſcenio ex Ruminantium Familia *Capra*, & Fig. I. ejus ventriculi omnes quatuor ita locati, ut quæ à dextris pinguntur, in ſiniſtro ſint Hypochondrio. AAA. eſt κοιλία μεγάλη, magnus ſeu primus venter. BB. κεκρύφαλος, Reticulum, ſecundus. C. ἐχῖνος, omaſus, tertius. DD. ὄπυσθον. Abomaſus, quartus. E. Pylorus. F. Inteſtini Duodeni portio. GG. Gulæ. H. Vena Cœliaca. I. Arteria Cœliaca.

TAB. CCXXXI.

FIg. II. Ventriculus primus ſeorſim, cui vaſa & exterior membrana ſunt ablata, ut fibræ exteriores carneæ in conſpectum veniant. A. Oeſophagi ima portio. BB. Magni Ventris Hemiſphærium dextrum. CC. Siniſtrum. D. Faſtigium turbinatum dextrum, cujus fibris primariò motus Bolorum repulſorius tribuitur. E. Siniſtrum ad eosdem uſus fabricatum. F. Sulci, ubi fibræ in funes aut chordas colliguntur. G. Sulcus fibroſus lateralis. H. lateralis alius. I. Sinus ingens, qui tranſitum dat ex primo Ventriculo in ſecundum.

Bouis primus venter (Fig. III.) detracta membrana exteriori, & fibris muſculoſis exterioribus. A. Oeſophagi portio. BB. Hemiſphærium dextrum, & fibræ ejus ſpirales interiores, quæ exteriores decuſſant. CC. ſiniſtrum. D. Faſtigium turbinatum dextrum. E. Siniſtrum. FF. Sulci, in quos colliguntur fibræ tum externæ tum internæ. GG. Sulcus & chorda lateralis ſiniſtra. H. dextra. I. Sinus, qui tranſitum dat ex primo in ſecundum.

TAB. CCXXXII.

FIg. IV. Magni Ventris interna facies, cum imbricatis apicibus, quibus tanquam vaginulis lingulæ nerueæ ſe ingerunt.

Fig. V. Reticuli fibræ muſculoſæ interiores. AA. Reticulum cum fibris annularibus interioribus. B. Oſtium magnum, quod cum magno Ventre communicat. C. Orificium minus ad Echinum tendens. D. Veſtigium canalis, qui ab Oeſophago per Reticulum in Abomaſum tendit.

Fig. VI. Reticuli interna ſuperficies cancellata, & quaſi clathrata.

Fig. VII. Omaſus bubulus externis fibris plerumque denudatus. A. Orificium è Reticulo ad Omaſum. BB. Echini ipſius fibræ fere circulares. C. portio fibrarum exteriorum. D. Orificium ad Abomaſum.

Fig. VIII. Membranacea ſeu foliacea Omaſi ſubſtantia. A. Folium integrum. B. dimidium ſeu mediæ magnitudinis. C. exile ac anguſtum. D. Omaſi fibræ connexæ foliis membranaceis.

TAB. CCXXXIII.

FIg. IX. X. Omaſi folia integra cum ſuis Fibris.

Fig. XI. Gulæ muſculoſæ ſtructura cum ſuis fibris ſpiraliter ſeſe decuſſantibus.

TAB. CCXXXIV.

Leuit. Cap. XI. verſ. 4.

Veruntamen hoc non comedetis ex his, quæ ruminationem ſurſum reuocant, & ex his, quæ Ungulam ſeparant, Camelus qui ſurſum quidem ruminationem reuocat, at Ungulam non ſeparat, & ob id immundus ſit vobis.

Quicquid autem ruminat quidem & habet ungulam, ſed non diuidit eam, ſicut camelus & cætera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis.

NOn eſt *Camelus* in ſenſu proprio Animal biſulcum, δίχηλον, ſed quidem διχιδὲς, ungulam habens non prorſus ut illa v. 3. fiſſam, ſed ad imam Cutim, quæ baſeos loco integra ungulis ſubſternitur. Sic ſolui debet ἐναντιοφάνεια, quæ ſeſe primo obtuitu offert in Textu, ubi eſus prohibetur eorum, quæ *Ungulam ſeparant*, & mox de eodem Animali pronuntiatur, *non ſeparare Ungulam* & propterea eſſe immundum. Structuram hanc Camelini Pedis deſcribit *Ariſtoteles Hiſt. Anim.* L. II. c. 1. ἐϛι δὲ δίχηλον, καὶ ἐκ ἀμφοδεν. δίχηλον δὲ ὧδε. ἐκ μὲν γὰρ τὲ ὄπιωθεν μικρὸν ἔχιϛαι μέχρι τῆς δευτέρας καμπῆς τῶν δακτύλων. τὸ δ' ἔμπροσθεν ἔχιϛαι μικρὰ, ὅσον ἄχρι τῆς πρώτης καμπῆς τῶν δακτύλων ἔπ' ἄκρων τέτταρα. Καὶ ἐϛί τι διὰ μέσε τῶν χιϛμάτων, ὥσπερ τοῖς χηϛὶν. Addo *Plinium* L. XI. c. 45. *Eſt* (Camelo) *biſulcus diſcrimine exiguo pes imus, veſtigio carnoſo, ut urſo; qua de cauſa longiore itinere ſine calceatu fatiſcunt.* Verbo, diuiſa Camelo eſt Ungula, non fiſſa; ſed Ungula non dura, ſeu cornea, qualis eſt Ruminantibus mundis, verùm mollis, veluti carnoſa, quæ non ita facile deteritur inceſſu per loca aſpera, ſabuloſa, quàm ſi cornea foret.

Attamen, inquit Legislator, *ſurſum ruminationem reuocat*, quatuor gaudens Ventriculis μηρυκάζει δὲ ἡ Κάμηλος, ὥσπερ τὰ κερατοφόρα, διὰ τὸ τὴν κοιλίαν ὁμοίως ἔχειν ἐκείνοις. *Ariſtot.* L. III. c. 14. Horum equidem Ventriculorum ſtructura non eſt adeò, ut in mundis diſtincta, ſed unus ab altero veluti elevatione quadam aut valuula diſtinctus. Maximus eſt primus, ſecundus valde paruus, tertius ſecundo major longus, quartus denique ſecundo par. Id verò notatu eſt dignum, Ventriculo ſecundo ineſſe, tunicas inter, ſaccos ad viginti usque ſiue cauitates, apertas intus. Videntur hi ſacci eſſe Hydrophylacia, Animantibus his per arenoſa Deſerta incedentibus percommoda, ut tantò diutius ſitim ferre queant. Nam *Plinio* teſte L. VIII. c. 18. & Experientiâ, *ſitim quatriduo tolerant, implenturque cum bibendi occaſio eſt, & in præteritum, & in futurum, obturbata proculcatione prius Aqua: aliter potu non gaudent.* Et hæc ipſa eſt in hiſce Promptuariis Aqua, ad quam itinerantibus extrema ſiti periclitantibus ultimum eſt refugium, ventre Cameli aperto. Structuram hanc, ut *Ventriculorum*, ita quoque *Ungularum Cameli* ſpeciatim *Dromadarii* exhibeo Fig. I. II. III. ex *Societatis* Ill. *Regiæ Pariſinæ Actis* A. 1671. folio Regali editis, titulo, *Memoire pour ſervir a l'Hiſtoire Naturelle des Animaux*, quas & *Anatome* ſuæ *Animalium* inſeruit *Blaſius*. p. 352.

Fig. I. K. exhibet imam pedis Plantam ſolidam integram, cuti carnoſa molli tectam.

L. Pedis extremi ſeu Ungulæ ſuperiorem partem diuiſam.

Fig. II. III. AAA. Ventriculus primus & maximus.

Γ. Oeſophagus ſub ingreſſum Ventriculi abſciſſus.

B. Ventriculus ſecundus.

C. - - - tertius.

D. - - - quartus.

Δ. Pylorus.

O. Ventriculus ſecundus in quatuor partes diſſectus, ut conſpici poſſit.

N. Oſtium ex primo Ventriculo in ſecundum.

P. P. P. Cauitates illæ ſeu ſacci ὑδροφορεοι, qui ſunt inter tunicas ſecundi Ventriculi.

Indicat vel ipſa hæc quatuor Ventriculorum Camelinorum ſtructura, perfectiorem elaborari chylum, Sanguinem, Carnem, quàm in Animalibus unico Ventriculo gaudentibus, imò Carnem eſui eſſe aptam. Teſtem habemus Ariſtotelem Hiſt. L. VI. c. 26. ἔχει δὲ καὶ τὰ κρέα, καὶ τὸ γάλα, μέχρι ἕ ἐν γαϛρὶ λάβῃ ἥδιϛα πάντων. *Carnem habet & Lac Camelus, donec concipiat omnium ſuauiſſima.* Eadem promit *Plinius* L. XI. c. 41. *Cameli Lac habent, donec iterum graueſcant, ſuauiſſimum hoc exiſtimatur, ad unam menſuram tribus Aquæ additis.* *Diodorus* L. II. αἱ μὲν γάλα παρεχόμεναι καὶ κρεοφαγέμεναι πολλὴν παρέχονται τοῖς ἐγχωρίοις



LEVITICI Cap. XI. v. 4.
Camelus.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 4.
Das Cameel.

M. Tyroff sculps.

LEVITICI Cap. XI. v. 5.
Cuniculus, mus alpinus.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 5.
Caninchen, Würmel-Thier.

M. Tyroff sculps.

χωρίοις δαψίλειαν. *Camelorum aliæ Lac præbentes, & Caro earum comeſa*, lautum incolis cibum ſuppeditant. Et de *Arabibus, Saracenis*, & *omni fere Barbaria* teſtatur *Hieronymus in Jouinianum* L. II. c. 6. quod *Camelorum Lacte & carnibus viuat.* Id quod de modernis Arabibus atteſtatur *Theuenot. voy.* P. II. L. II. c. 22. Imo verò & Regum menſis olim illatæ Carnes Camelinæ. *Antiphanes* apud *Athenæum* L. IV. in Oenomao aut Pelope.

- - - - - - - ὁ Μάγειρος ὅλον
τέρας ὀπτήσας, μεγάλῳ βασιλεῖ θερμὴν παρέθηκε.
Κάμηλον.

- - - - - - coquus ſolidum
Monſtrum coquens magno Regi calidum
Camelum appoſuit.

Sic *Heliogabalus*, teſte *Lampridio, comedit ſæpius ad imitationem Apicii calcanea Camelorum.*

Sed Judæis interdictus ex Camelis cibus. Tradunt Arabes, Jacobum hujus uſu frequentiore ſibi contraxiſſe Iſchiadicum Morbum, & propterea poſteros monuiſſe, ut ſibi cauerent. Fabulam id redolet. Quadrat magis, quòd DEUS hoc interdicto Judæos arcere voluerit à commercio cum Arabibus. Phyſicas ſi quæramus rationes, eſt quidem Camelus ruminans, ſed & proximè accedit ad ſolidipeda, ſtructuræ eſt fortis, carnis haud dubiè durioris, Animal durioribus, rudioribus, cibis aſſuetum. Dabitur forſan aliis, inquirere propius in hujus interdicti alias cauſas, ſi propius innotuerit Animalis hujus Natura.

TAB. CCXXXV.

Leuit. Cap. XI. verſ. 5.

Cuniculus qui & ipſe ruminat, ſed ungulam non ſeparat, immundus ſit vobis.

Choerogyllus qui ruminat, ungulamque non diuidit, immundus eſt.

DE Animali *Schaphan* שָׁפָן, cujus occurrit heic, & Deut. XIV. 7. Pſal. CIV. 18. Prou. XXX. 26. mentio, non eſt eadem omnibus mens. Plerique Recentiores cum Verſione noſtra ſtant pro *Cuniculo*. Rationes ſunt ſequentes, 1. Bis in Lege jungitur cum Lepore, Animali congenere. 2. ipſi LXX. שְׁפַנִּים in Pſalmi loco citato explicant per λαγωοὺς, *Lepores*, licet quædam Exemplaria habeant χοιρογρύλλιος. 3. Vulgata in Prouerbiis vertit per *Lepuſculum*, ex Græco quodam Interprete, qui habet λαγιδεῖς, quo Vocabulo Græci deſignare ſolebant Cuniculos. 4. Nominum Liber vetus, quem *Philoni* adſcribunt, ſic habet: *Saphan, Choerogryllius, Lepus, vel Hericius*, 5. *Giggeji* Lexicon transfert *Saphan* per *Cuniculum*. 6. Videtur Hebræum nomen alludere ad סָפַן vel חָפַן tegere, abſcondere, quæ voces quadrant in *Cuniculum*.

Martialis.

Gaudet in effoſſis habitare Cuniculus antris.

7. Hebræi aliquot abhinc Seculis cuniculos appellarunt שְׁפַנִּים 8. Fauet Etymologia Σπανίας, *Spaniæ*, *Hiſpaniæ*, quæ Regio his Animalibus abundat. Et cuniculum in Numis pro Symbolo habet. Fig. B.

Videamus, quæ Cuniculis opponat *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 32. Sed & ſub incudem examinis reuocemus. Primum eſt, non ruminare, teſte *Porta Cœli* f. 20. b. quod teſtimonium eludit *Bochartus* vel ſola correctione Textus, alia nempe ejus lectione. Sed ſunt majoris momenti alia, quæ regerimus. Non quidem ruminant adeò manifeſtè digitata hæc ut biſulca, neque illorum Ventriculi ſunt adeò, ut horum, diſtincti, non quadruplices, ſed nec ſimplices: diſcriminat & Oeſophagi inſertio, & Valuula membranacea eminens in duos. Pinximus eum Fig. I. Accedit Experientia. Mandunt hoc genus Animalia ſemihorâ poſt cibum: Et ſufficit Ventriculi duplicitas ad ruminationis negotium, quum unicus ſuffecerit Hominibus, qui ruminaſſe leguntur. Ut omnino non opus ſit, cum *Hier. Mercuriali Var. Lect.* L. I. c. 15. in ſubſidium trahere Leporum Cuniculorumue (nam horum eadem eſt ratio) Inteſtina tenuia & cœcum, quæ Ventriculorum præſtent vices, quod effugium placet quoque *Waldungo Lagograph.* c. 33. Parum hi offendunt fidei apud Anatomicos modernos, qui probè norunt, non inſeruire cœcum ciborum vel digeſtioni, vel ſemidigeſtorum repulſioni ad ſuperiora, imo ad Os. Ruminarent Animalia Excrementa tenuium Inteſtinorum cibis mixta, & prope id accideret ipſis, quod accidit Iliacis.

Pergimus. Secundam Objectionem dat Locus Prou. XXX. 26. ubi dicuntur שְׁפַנִּים *habitare in petris*, quod Cuniculis non competat, in terreno ſolo habitantibus. Sed nullius eſt & hæc pretii. Poteſt quippe Animal in Petris, locis petroſis & montoſis (quod de Cuniculis affirmant Hiſpani, & Gentes aliæ) habitare, & tamen in ſolo terreno. Supereſt tertia Objectio, quæ Cuniculum exhibet ut Animal olim Hiſpaniæ peculiare, quæ à Judæa mirum quantum remota, ut neceſſe haud fuerit, eſum illius Judæis prohibere. Stat hæc Objectio teſtimoniis *Varronis Ruſt.* L. III. c. 12. *Plinii* L. VIII. c. 55. *Æliani Animal.* L. XIII. c. 15. *Galeni* L. III. de *Alim.* comprobaturque ex Nummis *Hadriani*, in quibus *Hiſpaniam* præſentat figura mulieris dextrâ gerens ramum Oleæ, cum Cuniculo ad pedes. Unde & hæc Prouincia *cuniculoſa* cluet *Catullo*, & mouit ea inprimis *Bochartum*, ut de alio potius Animali cogitaret. Verùm enim verò neque hoc Argumentum mihi videtur magni Ponderis: Poſito, Hiſpaniam Cuniculorum eſſe patriam, imò illam ab his nomen traxiſſe, nondum inde ſequitur, alibi hoc Animantium genus non dari. Docet nos Experientia moderna, viuere poſſe, & viuere reuerà, ubiuis Terrarum Cuniculos. In tanta rei obſcuritate difficile putat *Bochartus* (cujus tamen rationes minus ſunt, quod vidimus, validæ) ſeſe pro Cuniculis determinare, tantò magis, quia vetuſtiſſimi Chaldæi, Syri & Samaritani pro שָׁפָן voces nobis obtrudant prorſus ignotas, *Onkelos* טפוז *taphza Jonathan* טוז *tauza*, Samaritanus *taphſa*, Syrus *Chagaſa*, Æthiops *Legiche*. Sed *Bocharto* obſtat, adhuc hodie Turcas & Arabes *Cuniculum* appellare *ada tavſani*, *ada tavſanghigg* teſte *Meninzk. Lex.* 107. 3145.

Non eò quidem tendunt rationes hactenus contra *Bochartum* allegatæ, ut *Cuniculum* obtrudam pro *Saphan*, ſed ut conſtet, minus habere roboris argumenta ab ipſo prolata. Haud quippe diſplicet ipſa *Bocharti* ſententia, quæ *Muri alpino*, *marmotæ*, fauet. In Prouerbiis ſanè Arabes habent *alwebro*, in Lege *Alphenebo*, quorum Animantium deſcriptio, ſicuti eam dant Scriptores Arabes conuenit *Muri alpino*, vel cum *Sciuri* aut *Echini* ſpecie. Ut ex Arabum mente nihil certi definire liceat, neque ex Verſionibus Græcis, quæ inter ſe admodum variant. Sunt quippe, qui λαγωνὲς, *Lepores* reddunt: *Clemens Alexandrinus Hyænam*: LXX. *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion* χοιρογρύλλιος, de qua voce nihil conſtat ex optimis Zoographis veteribus, *Ariſtotele*, *Plinio*, *Æliano*, *Oppiano*, *Phile*: poſterioris æui aliis *Erinaceum* interpretantibus, ut *Heſychio*, *Suida*. *Hieronymus*, qui Pſ. CIV. *Herinaceum* reddidit, in *Epiſt. ad Suniam* χοιρογρύλλιον vocat ἀκτομῦν, cui reſpondet Arabicum *aljarbuo*. Siſtunt autem & Græcorum veterum & Arabum deſcriptiones Animal, quod Urſi ad inſtar incedit bipes, prioribus pedibus breuioribus tanquam manibus utitur, murini generis, in petris nidificans & latibulis, ruminans, cibo aptum, gregarium, quæ notæ omnes *Muri alpino* quadrant, de quo ex Prou. l. c. afferere & id poſſumus, eſſe *Gentem minime potentem.*

Immundum eſt, Lege diuina, *Saphan*, neque ſunt obſcuræ rationes, ſupra allegatæ, quæ & *Cuniculum* & *alpinum Murem* infra propriè ſic dicta ruminantia ponunt. De *Cuniculo* vidimus, eum ruminare, ſed unico fere Ventriculo, vel quaſi duplici. *Alpini Muris* caro, à qua ut non abhorrent Arabes, ita neque Alpicolæ noſtrates, ingratâ pinguedine ſociata ſuillam ſapit, unde forte & χοιρογρύλλιε nomen. Pendet ſpecialior αἰτιολογία à conſideratione Ventriculi, quem examinare nondum licuit. Interea id conſtat, ab his Animantibus non poſſe elaborari adeò perfectum chylum, qualem quidem conficiunt Ruminantia, carnem proin eſſe minus ſalubrem. Sed ignorantiam Anatomes ſapit prouocatio illa *Cunæi de Rep. Hebr.* L. II. c. 24. *Doceat quiſpiam me, cur edicto Numinis impuræ ſint Quadrupedes, quarum fiſſæ ungulæ non ſunt. Nam Cuniculos quidem Leporesque inter cibos habere apud cunctas hercle Nationes fas & jura ſinunt, & ſolis Hebræis haud licitum eſt.*

Ventriculi Muris alpini figuram ſiſtit A.

TAB.

LEVITICI Cap. XI. v. 6.
Arnebeth, Lepus.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 6.
Der Haase.

Catha. Sperlingen sculpt.

TAB. CCXXXVI.

Leuit. Cap. XI. verſ. 6.

Et Lepus, qui ruminationem reuocat ſurſum, at ungulam non ſeparat, immundus ſit vobis.

Lepus quoque: nam & ipſe ruminat, ſed ungulam non diuidit.

Arnebeth, ארנבת quæ vox heic occurrit, & Deut. XIV. 7. *Leporem eſſe*, nullum eſt dubium. Conſentiunt Hebræi cum omnibus Interpretibus, veteribus & modernis. Arabes adhuc hoc Animalis genus appellant *arneb*, *erneb*, *eraneb*. *Meninzk. Lex.* 151. 3144. Adſunt quoque teſtimonia Mythologi *Locmani*, *Auicennæ*, *Damiris*, *Abenbitaris*. Scrupulum mouere videntur Græci, quibus Δασύπες vertitur, quod Animal à Lepore diuerſum, deſcribere videntur *Ariſtot. Hiſt.* L. I. c. 1. Plin. L. VIII. c. 55. X. c. 63. Videntur, inquam, ſed tum ex iisdem Scriptoribus, tum aliis, omnibusue Lexicographis conſtat, λαγωὸν vel λαγώδα eundem eſſe cum δασύποδι. Pluribus hoc demonſtratum it *Bochart Hieroz.* P. I. L. III. c. 32. Certum eſt inſuper, à Leporis eſu abhorruiſſe ſemper Judæos. Audi *Plutarchum Sympoſ.* L. IV. c. 5. καὶ τὸ λαγῶ φησί τις ἀπέχεσθαι τὸς ἄνδρας, ὡς μυσαρὸν καὶ ἀκάθαρτον δυσχεραίνοντες τὸ ζῶον. *Aliquis eos homines à Lepore abſtinere dicit, quia hoc Animal tanquam pollutum & immundum dedignantur.* Alia teſtimonia, ſpeciatim Interpretum, omitto.

Ruminare Leporem teſtatur Moſes. Alia vetuſta teſtimonia nobis deſunt. Imo vero multi ruminare negant, vel dubitant. Hinc eſt, quod Græcam Verſionem corruperint, & pro ὅτι ἀναγει μηρυκισμὸν, poſuerint ἐκ ἀναγει. Qua negatione tamen carent optimi quique codices. Negatiuam ſuffulcire videtur Ventriculi ſimplicitas, in Leporibus atque Cuniculis obſeruabilis. Sed vidimus ſupra, occaſione Cuniculi, ſimplicitatem Ventriculi non obſtare Ruminationi, & Ventriculum his Animantibus non tam ſimplicem eſſe, quàm duplicem, ſaltem valuula membranacea eminenti interſtinctum. Structuram hanc accuratè, ut ſolet, deſcribit *Peyerus Ruminat.* L. II. c. 6. Ruminationis aliud indicium eſt coagulum, cujus & meminit *Ariſtot. Hiſt.* L. III. c. 22. ruminantibus commune. Addi poſſent Cornua, ſed ſunt cornuti Lepores rari Exempli. Ea nihilominus ad marginem ſiſto ex *Velſch. Hecatoſt.* I. p. 34. Additur in Textu, *Ungulam non ſeparare* Leporem, ſcilicet opponitur heic Ungula diuiſa non continuæ, ſed multifidæ. Non eſt Lepori, uti aliis Ruminantibus, Ungula continua biſulca, ſed πολυχιδὴς.

Pergimus in inueſtigatione Rationum præcepti Phyſicarum, ſi quæ ſunt. Si veteres audiamus Medicos, tum Græcos, tum Arabes, *Galenum*, *Aetium*, *Raſen*, gignit caro Leporina Sanguinem craſſum & melancholicum. Argumentum ſine dubio ſiniſtræ huic famæ dedit niger & carnis, & juſculorum, quibus cum apponitur, color ſuſpicioſi quid ſecum ferens. Sed audiamus, quomodo infamiam hanc depellat ipſe *Ventriculus* in ſuis lepidiſſimis *Swalvio* procuratore *querelis.* p. 149. *Non eluceſcit, quod ſolum melancholicum & atrum exhibeat ſuccum. Fidei fluxæ argumentum coloris eſt. Deſidia, ſanguinisque craſſities non urget magis Leporem, ac aliud quoduis Animal minus exercitum. Ejus Acrocolia in nigredine piperata latentia ſi turbas mihi cient, non imputent, quæſo, Lepori impudenter, ſed Gulæ ſuæ. Quid autem attinet de hac ignominia pluries logos funditare, ſiquidem jam totas turbaſſet familias Melancholia, quibus quidem ego nîl frequentius accipio ac Leporinam.* Leporem apud Romanos in magno fuiſſe æſtimio conſtat ex *Epigrammate* XIII. *Martialis.*

Inter Quadrupedes gloria prima Lepus. Ridiculum legitur commentum in *Plutarchi Sympoſ.* L. IV. *Qu.* 5. Judæos à Leporis uſu abſtinuiſſe, non quia immundum crederent, ſed quia toto habitu corporis Lepus eſt Aſino ſimilis, qui ſcilicet apud illos magno in honore fuerit, & quondam ſitientibus monſtrauerit Aquæ fontem. Patres, ex Philoſophiæ neglectu nimiùm ſæpe moralizantes, Legislatorem reſpexiſſe volunt ad nimiam Leporis libidinem, ut qui miræ ſit fœcunditatis, & frequentiſſimè coeat. Alii ad timiditatem oculos jaciunt, rurſus alii ad hermaphroditicam naturam. Sed ſunt omnia hæc Philoſophemata nullius roboris. Reſpicimus nos potius ad ſimplicem ferme Leporis Ventriculum, qui cibos non tam benè conficit; neque inde Sanguinem adeò parat laudabilem, ut alia Animalia ruminantia propriè ſic dicta.

In Tabula præſenti exhibet

Fig. A. Leporis Sceleton.

Fig. B. Leporem rariorem cornutum.

Fig. C. Cornua.

TAB. CCXXXVII.

Leuit. Cap. XI. verſ. 7.

Et Sus, quum Ungulam ſeparet findatque fiſſura Ungulam, Ruminationem tamen non reuocat, immundus ſit vobis.

Et Sus: qui, cum Ungulam diuidat, non ruminat.

PErgimus cum Legislatore ad *Sues*, ſiue *Porcos*. Vocatur Animal hocce Judææ Genti odioſum, imo maledictum חֲזִיר *Chazir*, ſic & Syris, & Turcis hodienum *Chænazir*, *Aper*, *Chynzir*, *Porcelli chænanys* Plur. τᾶ *Chynnewos* & *Chyrnævos*. *Meninzk. Lex.* 1947. 1948. 1952. 1954. 3149. 6052.

Multam & magnam Interpretes operam nauant, ut cauſas inquirant immunditiei Quadrupedibus biſulcis, quæ Porcinum conſtituunt genus, propriæ, & tantopere apud Judæos odioſæ, quas tamen inueniſſent ſtatim tum in interiorum viſcerum ſtructura, tum in vitæ ratione. Ungulas equidem habent fiſſas, imò per totum ſciſſas פֹּרֶסֶת מַפְרִיס פֹּרֶסֶת הוּא וְשֹׁסַע שֶׁסַע, *diuidens Ungulam ipſe*, & *findens fiſſuram Ungulæ*. Sed unicus illi eſt Ventriculus, nullaque prorſus adeſt Ruminatio, ut proin inferiori adhuc gradu locari debeat quàm Camelus, Cuniculus, Lepus, Musque alpinus, ſiue, chylum non tam benè excoquat, ac quidem hæc Animantia, quæ ruminant. Qui inſuper attendit ad vitæ genus ſordidiſſimum, cibos quibus utuntur abjectiſſimos & ſpurciſſimos, vetitum fuiſſe Animalis hujus eſum populo, cui per legem injuncta ſummi gradus mundities, haud mirabitur. Magno eſt nobis uſui Porcus, qui quotannis, approximante inprimis Hyeme, ingentem mactamus numerum Animalium horum *ad mortem nutritorum*, ut *Lactantii* verbis utar *Inſtit.* L. IV. c. 17. Sed Judæis inutile prorſus erat Terræ pondus, nec Sacrificiis, nec cibis, nec aliis uſibus aptum.

Sunt cauſæ, quas alii adferunt, vel falſis Traditionibus nixæ, vel extra Philoſophiæ cancellos relegandæ, vel inſufficientes. Apud *Tacitum* legimus *Hiſt.* V. *Sue abſtinent Judæi memoria cladis, quod eos ſcabies quondam turpauerat, cui id Animal obnoxium. Calliſtratus* apud *Plutarchum Sympoſ.* L. IV. c. 5. quod Judæi Suem colant, ut Ægyptii, utpote qui τῷ προὔχοντι τῆς ὀρυχῆς, ſummo roſtro, Terram proſcindens arationem primus docuerit, & uſum Vomeris, qui ὖνις dicatur, ἀπὸ τῆς ὑός. Ibidem *Lampridius* quatuor allegat Rationes, quæ omnes ſimul ſumtæ vix ultra dimidiam valent. 1. quia ſub Ventre ſolet eſſe λέπρας ἀνάπλεως, καὶ ψωρικῶν ἐξάνθημάτων, *Leprâ plenus*, & *ſcabiei puſtulis*. 2. quia non aliud eſt Animal βορβώρῳ χαίρων ἔτω, καὶ τόποις ὑπαρροῖς, καὶ ἀκαθάρτοις, *cœno tam gaudens ſordidisque & impuris locis*. 3. quia cœlum nunquam videt niſi ſupinus. 4. quia à Sue *Adonis* interemptus eſt, quem alii Baccho in deliciis, alii eundem cum *Baccho* fuiſſe putant, quem Judæi coluerint.

Ex his *Lampridii* rationibus ſecunda ſola eſt alicujus momenti, conferenda cum *Maimonide* in *More Nevochim* P. III. c. 48. *Potiſſima*, inquit, *cauſa, propter quam Lex nobis prohibuit carnibus ſuillis veſci, eſt fœda Porcorum ſordities, & quod multas ſordidasque res comedant. Noſti enim, quàm anxie Lex omnes ſordes, omnemque immunditiem prohibuerit, in agris quoque, & in caſtris, ut nil dicam de ipſis Urbibus. Quod ſi autem permiſſum eſſet, porcos comedere, plateæ & domus omnes longè ſordidiores eſſent quam ſterquilinia & Latrinæ.* Nec de nihilo eſt, quam afferunt Talmudiſtæ, Porcum comedenti periculum eſſe à Lepra. Sic legimus in *Plutarchi Iſide.* τῶν (ὑῶν) τὸ γάλα πινόντων ἐξανθεῖ τὰ σώματα λέπραν, καὶ ψωρικὰς τραχύτητας. *In eorum, qui Lac ſuillum bibunt, corporibus, Lepra pullulat, & ſcabiei aſpredines.* Idem habet *Ælianus* L. X. c. 16. ex *Manethone*, ὅτι γάλακτος ὑείᾳ γευσάμενος ἀλφῶν ὑποπίμπλαται καὶ Λέπρας, *eum, qui ſuillo Lacte veſcatur, vitiliginibus & Lepra oppletum iri.* Non, inquam, de nihilo eſt, hæc contemplatio; non ignoramus Medici, quanta incommoda afferat corpori ſuillæ carnis eſus, ſcorbuticis inprimis, Arthriticis, Scabioſis, Leproſis, & in genere omnibus aliis Intemperie Sanguinis ſalsâ ſiue acrimoniâ quauis laborantibus, unde nihil frequentius, quàm carnis hujus ſeu omnis, ſeu infumatæ & ſalitæ, eſu interdicere. Et eſt hæc conſideratio tantò majoris momenti, quo calidior eſt Regio, ſalia Corporum magis euecta ſiue exaſperata qualis utique fuit Judæa.

Ex hactenus dictis clariſſimè, ut quidem puto, patet, adeſſe rationes Phyſicas interdicti. Omiſerant has Patres, vel ex Philoſophiæ ſanioris neglectu, vel nimio Allegoriarum amore, & omnia applicarunt ad mores. Sic *Clemens Alexandrin. Pædag.* L. III. per *Sues* intelligit,

LEVITICI Cap. XI. v. 7.
Chazir, porcus.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 7.
Das Schwein.

M. Tyroff sculps.

ligit, qui ἡδοναῖς σωματικαῖς καὶ δεισαλέαις τροφαῖς, καὶ γαργαλισμοῖς ἀσελγέσι κνησικῶντες, πρὸς Ἀφροδίτης κακόχαρτον ἡδονὴν χαίρεσιν, *corporeis voluptatibus, ſtercoreisque cibis, & impudicis titillationibus prurientes ad perniciosam Veneris voluptatem exultant.* Item *Stromat.* L. II. carnem ſuillam utpote multi nutrimenti *utilem* eſſe dicit iis, *qui corpus exercent* (athletis), *iis autem, qui ipſam Animam augere conantur, non item, propter bebetudinem, quam ingenerat eſus hujusmodi carnium. Novatianus de cibis Judaicis* c. 3. *Suis* nomine intelligit *cœnoſam & luteam, & gaudentem vitiorum ſordibus vitam, bonum ſuum non in Animi generoſitate, ſed in ſola carne ponentem.* Similia habet *Lactantius Inſtit.* L. IV. c. 17. *Procopius in Leuiticum.* Inſeruiunt ſæpe hujusmodi Allegoriæ pro Cathedra, ubi Auditores non tam ſunt Phyſicæ quàm Ethicæ Præceptis imbuendi. Ipſe magnus *Bochartus* L. II. c. 57. applicativè ad Interdicti cauſas à Legislatore expreſſas per Ruminantem intelligit, qui cibum Animæ, id eſt, Verbum DEI aſſidua meditatione recolens ita mandit & concoquit, ut in alimentum ſuum conuertat. Et fiſſam habere ungulam dicit Hominem Spiritualem, qui omnia diſcernit & dijudicat, ut poſtquam probauit omne, id retineat, quod bonum eſt. Suam ita quiuis amat amaſiam: φιλαλλήγορος Allegorias, Phyſicus Rationes ex Hiſtoria Naturæ petitas, quæ ipſæ ſæpe mores, vel diſpoſitionem ad eos, mutant, & quibus aſſociari commode poteſt, quam ſupra ex *Clemente Alexandrino* allegaui. Pingues ſanè cibi, (pinguedine autem abundant Porci) augent & Pingue, oleoſum, corporis noſtri: premit Pinguedo, ſi exundet, Muſculos, aliasue partes motui deſtinatas; impedimento eſt motui, aliisue ſecretionibus. Unde videmus, ineptos eſſe obeſos motibus Animi & Corporis, Laboribus, Mentis ſubtilioribus cogitatis. Et vel commune Veriuerbium porcinam Carnem dicat potius Ruſticis & Lignicidis, quam delicatioris texturæ Hominibus.

Fuit hæc, quæ Porcinæ Carnis interdictum reſpicit, Lex adeò præciſa, ut in transgreſſores omni tempore fuerit grauiter animaduerſum. Audi Prophetæ, imo DEI, querimoniam Jeſ. LXV. 3. 4. *Sacrificant* (populus meus) *in Hortis, & ſuper lateres ſuffitum faciunt, ſedent in ſepulchris, & in delubris pernoctant, edunt carnem ſuillam, & jus abominandorum in vaſis eorum eſt,* id eſt, in ollis, in quibus ſuillæ carnes elixantur. *(Immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres: qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem ſuillam, & jus prophanum in vaſis eorum.)* & LXVI. 17. *Qui ſe ſanctificant, & qui ſe purificant in hortis poſt januam in medio, comedentes carnem ſuillam, Glirem, & hujusmodi abominanda, ſimul tollentur. (Qui ſanctificabuntur, & mundos ſe putabant in hortis poſt januam intrinſecus, qui comedebant carnem ſuillam, & abominationem & murem: ſimul conſumentur.)* Et præciſa Legis obſeruantia anſam dedit Judaici nominis hoſtibus, Nationem hanc tanquam vel ſuperſtitioſam, vel dementem, falsè deridendi, imo perſequendi. Apud *Joſephum Lib. de Maccabæis* hæc legitur Antiochi ad Eleazarum adlocutio. Διὰ τί τῆς φύσεως &c. *Cur cum optimam ejus Animalis carnem natura indulſerit, illius eſum abominaris? Inſanum enim eſt non frui deliciis, quæ probroſum nihil habent, neque juſtum eſt, Naturæ dona repudiare.* Quinimò idem Tyrannus, poſtquam in Templo ipſo Hieroſolymitano mactaſſet Sues, Fanis & Aris pro hujusmodi hoſtiis oppidatim extructis, Judæos ad impura hæc ſacra adegit, metu Mortis intentato. Lege 1. Maccab. I. 50. 2. Maccab. VI. 18. VII. 1. *Joſeph. Ant.* L. XII. 7. *Bell. Jud.* L. I. c. 1. Sed nec valuerunt profanorum hominum deriſiones, nec Tyrannorum minæ, Judæos abſterrere ab Obſeruantia Legis. De virtute & agone Eleazari & ſeptem fratrum unà cum Matre legantur Loca citata. Et nonnulli Animal hocce ita ſunt deteſtati, ut ne nominare quidem fuerint dignati alio quàm דָּבָר אַחֵר *rei alius* titulo.

Obſeruandum inſuper, non ſolos Judæos ſuillâ carne abſtinere, ſed & Gentes alias. De *Arabibus* teſtimonium extat apud *Plinium* L. VIII. c. 52. *Solinum cap. de Arabia.* de *Saracenis* apud *Hieron.* L. II. in *Jouinianum* c. 6. De *Phœnicibus* legatur *Herodianus* L. V. ubi de *Heliogabalo*, eum Suibus *abſtinuiſſe Phœnicum lege*, Φοινίκων νόμῳ. Licet aliud de illo referat *Lampridius.* De *Ægyptiis* infit *Herodotus* L. II. c. 47. Οἱ δὲ Αἰγύπτιοι μικρὸν ἡγηνται θηρίον εἶναι. καὶ τάδε μὲν ἤν τις ψαύσῃ αὐτῶν παρεὼν ὗος, αὐτοῖσι τοῖσι ἱματίοισι ἀπτὼν ἔβαψε ἑωυτὸν, βὰς εἰς τὸν ποταμόν. *Suem autem Ægyptii pollutum Animal eſſe putant. Et eum ſi quis vel transeundo contigerit, abit immerſum ſe flumini cum ipſis veſtibus.* Cauſam impuritatis *Plutarchus de Iſide* vult, quod *plerunque coire videatur Luna decreſcente.* Ælianus *Hiſt.* L. X. c. 16. potius impuram & crudelem voracitatem, quod *ne propriis quidem fœtibus parcat, & cum in humanum corpus incidat, non abſtineat, ſed illud mandat.* Addi Gentibus hactenus nominatis poſſunt Barcææ mulieres in *Africa Cyrenaica* ex *Herodoto* L. IV. c. 186. *Æthiopes* ex *Porphyrio: Indi* ex *Æliani* L. XVI. c. 37. *Caraibes* ex *Hiſt. des Isl. Antill.* p. 410.

TAB. CCXXXVIII. CCXXXIX.

Leuit. Cap. XI. verſ. 9. 10. 11. 12.

9. Ex omnibus verò, quæ in Aquis ſunt, hoc comedetis: quæcunque in Aquis pinnulas habent & ſquamas, tam in Mari, quàm in Fluminibus, ea comedetis.
10. Et quicquid pinnulas non habet, ac ſquamas, in Mari & Fluminibus ex omnibus Reptilibus aquaticis, & ex cuncta Anima viuente, quæ in Aquis eſt, abominandum ſit vobis.
11. Abominanda inquam ſint vobis, de carne eorum ne comedatis, & cadauer illorum horreatis.
12. Quicquid in Aquis pinnulas & ſquamas non habet, ſit vobis abominandum.

9. Hæc ſunt quæ gignuntur in aquis, & veſci licitum eſt: Omne quod habet pinnulas & ſquamas, tam in mari, quàm in fluminibus & ſtagnis comedetis.
10. Quicquid autem pinnulas & ſquamas non habet eorum, quæ in aquis mouentur & viuunt, abominabile vobis:
11. Execrandumque erit. Carnes eorum non comedetis, & morticinia vitabitis.
12. Cuncta quæ non habent pinnulas & ſquamas in aquis, polluta erunt.

A Terricolis Quadrupedibus pergimus ad Aquicolas, *Piſces*, de quorum ſtructura admiranda, Dentibus, Oculis, Branchiis, Ventriculis, Spinis, Muſculis, Veſica natatoria plura dicenda haberem, ſi animus eſſet Ichthyologiam dare, ſpeciatim ad cognitionem DEI Creatoris applicatiuam. Duas partes præterire nequeo, quia earum meminit Legislator ſummus, *Pinnas* & *Squamas*.

Pinna, סְנַפִּיר *Senaphir*, πτερύγιον, plerisque populis nomen habet ab Alarum ſimilitudine, quia quemadmodum Aues alarum beneficio volant, & Piſces Pinnarum auxilio natent; Vetus hæc eſt opinio, ſed malè fundata. vid. *Borellus de motu Animal. prop.* 212. Eſt breuitas Vectis, palarum anguſtia, flexibilis cartilaginoſa ſtructura inepta prorſus ad impellendam Aquam ea vehementia, quæ ad velociſſimum Piſcis motum eſt neceſſaria. Imò, ſi Piſces mouentur, Pinnæ non agunt remorum inſtar, ſed lateribus Piſcis admouentur, & expanſæ quietem potius inducunt, quemadmodum Nauium impetus expanſis in Aquam remorum palis retardatur; atque reſectis Pinnis nihilominus veloci curſu Piſces mouentur. Ut verus Pinnarum uſus ſit, ſpeciatim duplicatarum imi ventris, piſces tenere in ſitu erecto, ne vel vacillent, vel reuoluantur Ventre ſupino, id quod fit reſectis Pinnis: & verum, adæquatum, motus illius velociſſimi Inſtrumentum ſit Cauda, & muſculoſa caro. Modus, quo hic Motus fit, exponitur à *Borello prop.* 214.

Sunt *Squamæ* קַשְׂקֶשֶׂת *Kaskeſeth* Piſcibus, quod militibus Lorica, & Clypei, quod nobis cuticula: obtegunt ſubjectam Carnem, ne quid damni patiatur, ab allapſu Aquæ: ſtructuræ ſunt artificioſiſſimæ, ut vaſa ſubtiliſſima ad extrema earum penetrent, non proin conferendæ cum Hominum Unguibus, neque Brutorum Unguibus & Unguiculis. Qui ſquamis carent Piſces, iis inſeruit clypei loco mucus copioſus, quo illi toti oblinuntur, proin attactu valde ſunt lubrici. Squamarum formam ſub Microſcopio auctam ſiſto in Tabula CCXXXIX. ex Hoock Micrograph. p. 162. *Soleæ* nempe Piſcis. Quæ Solea comparet F. I. ejusque Squamæ II.

Ingrediuntur *Pinnæ* Diuiſionum Claſſes: ſic dantur ex. gr. qui pinnis ventralibus carent, non ſpinoſi dorſo tripinni, bipinni, unica in dorſo Pinna: ſpinoſi rurſus unica in dorſo Pinna, dorſo bipinni &c. Juxta Moſis ductum diſtinguere poſſemus Piſces in 4. Claſſes. 1. Pinnis ſimul præditos & Squamis. 2. Pinnis quidem inſtructos, ſed ſquamis carentes. 3. Squamatos, ſed non pinnatos. 4. nec Pinnas habentes, nec ſquamas. Ex quibus ſoli primi generis erant mundi.

Immun-

LEVITICI Cap. XI. v. 9-12.
Anguilla, Muræna, Lamperta.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 9-12.
Aal, Neun-Aug.

I. A. Fridrich sculps.



LEVITICI Cap. XI. v. 9-12.
Solea cum squamis.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 9-12.
Die Sole und dero Schuppen.

G. D. Heuman. sculpt.



LEVITICI Cap. XI. v. 13.
Neſcher, Aquila.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 13.
Der Adler.

M. Tyroff sculpſ.

LEVITICI Cap. XI. v. 13.
Girfalco et Haliætus.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 13.
Geyer-Falck, See-Adler.

M. Tiroff sculps.

Immundorum & mundorum Piſcium diſcrimen inuenimus quoque extra Scripturam. *Romani* non *pollucebant* niſi ſquamoſos : erat autem *Pollu&tum* ſacrificium, vel ſacrum Epulum in Deorum honorem inſtitutum. Legem ipſam ex *Caſſio Hemina* ita citat *Plinius*. L. XXXII. c. 2. *Numa conſtituit, ut Piſces, qui ſquamoſi non eſſent, ne pollucerent.* Excipit *Feſtus Scarum* ex ſquamoſis, tanquam rarum, vel qui magno venibat. Sacerdotes Ægyptii veri erant Anti-Carthuſiani, Piſcium omnium oſores, quod diſcimus ex *Porphyrio de Abſtin.* L. II. c. 37. & *Herodotus* L. II. c. 37. teſtatur, ἰχθύων δὲ σφι ἔξεστι πάσασθαι. Aſt Plebi permiſſa erat ἰχθυοφαγία, imo verò fuit poſt Plantarum Radicumue uſum δευτέρα διαγωγὴ ἡ τῶν ἰχθύων βρῶσις, teſte eodem L. II. c. 93. & *Diodoro* L. I. Piſciferam autem præ multis aliis eſſe Regionem Ægyptum nemini non, vel ex ſitu, conſtat. Teſtimonio eſſe poterit inter alia *Moeridis Lacus*, cujus Piſcatio per ſex ſeptimanarum decurſum in dies Fiſco Regio Talentum intulit.

De cauſis Phyſicis Præcepti inhibitorii ſilent, quantum quidem ſcio, Interpretes Sacri Codicis. Non diſcedam ego, vel pergam, re intactâ. In Catalogo *Piſcium* prohibitorum ſunt omnes *Anguilliformes*, utpote ſquamis carentes, læues, lubrici. Horum eſt, reptare potius in Aquis, quàm veloci raptu moueri, & in Aquis quidem ſtagnantibus, ſæpe putridis, cœnoſis, lutoſis, immundis. Hujusmodi Piſces, Muræna, Lampetra, Anguilla non benè audiunt Medicis, vel ob nimiam mollemque Pinguedinem, quæ comparari poteſt Porcinæ, etiam immundæ. Et in genere ad prohibitos pertinent omnia illa Animantia tardigrada, quæ in Aquis, ſeu lacuſtribus, ſeu fluuiatilibus, vel marinis degunt, quæ ob lentiorem corporis ſui motum minus benè digerunt cibos, & vel ob id conferri poſſunt cum Quadrupedibus unico Ventriculo præditis. Et emphatica mihi planè videntur verba, quæ extant v. 10. מִכֹּל שֶׁרֶץ הַמָּיִם וּמִכֹּל נֶפֶשׁ הַחַיָּה אֲשֶׁר בַּמָּיִם *ex omni reptili Aquarum, & de omni Anima viuente, quæ in Aquis.* His excludi mihi numero licitorum ſeu mundorum videntur præter Piſces ſupra memoratos omnia *Exanguia aquatica*, Cruſtacea, Teſtacea, Conchæ, Cochleæ, quorum etiam pleraque nullibi Terrarum comeduntur, imò multa venenatæ ſunt indolis.

Siſtit Fig. A. Tab. CCXXXVIII. *Anguillam.*
B. *Murænam* Saluiani.
C. Lampetram alteram minorem.

TAB. CCXL. CCXLI.

Leuit. Cap. XI. verſ. 13.

In Auibus hæc ſunt, à quibus horrere, nec ea comedere debetis, abominanda enim ſunt, Aquila, Accipiter, Aquila marina.

Hæc ſunt, quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda ſunt vobis: Aquilam, & Gryphem, & Haliætum.

ORnithologiæ eadem erit heic tractatio, quæ fuit Ichthyologiæ, non tam ad Theologiam naturalem generatim, quàm ad Præceptum permiſſorium & prohibitorium ſummi Legislatoris applicatiua. Dabitur alibi commodior DEUM demonſtrandi occaſio ex Auium integra & artificioſiſſima ſtructura, Roſtri, Capitis, Oculorum, Colli, Alarum, Pedum, Plumarum, Caudæ, Muſculorum, Volatus Inſtrumentorum, Cerebri, Pulmonum, Ventriculi, Inteſtinorum, Renum, ex Generatione, magnitudine, Nidis, amore erga Pullos. Manebo intra terminos præſcriptos.

Sunt omnes Aues quodammodo Animalia ruminantia, non quidem eo & ſtricto ſenſu, quòd cibos ex Ventriculo reſumant in Os, ſed quòd melius non ruminantibus digerant, & eſt Ruminationis duplex indicium, obſeruatum jam olim *Ariſtoteli Anim.* L. III. c. 14. nimirum Dentium abſentia, & Ventriculorum pluralitas, qua niſi ſubueniſſet Creator optimus, infeliciſſima foret edentulorum Animalium digeſtio. Sunt nempe Auibus tres *Ventriculi*, primus *Ingluuies*, Ariſtoteli πρόλοβος, ſecundus μέρος ὀγκώδες, *Guttur* der *Kropf*, tertius κοιλία σαρκώδης καὶ τυφλὰ, *venter carnoſus calloſusque Plinio, Ventriculus* κατ' ἐξοχὴν ita dictus, quorum omnium ſtructuram egregiè explicauit *Peyerus*. Primi eſt recipere, & aliquantum mollire, ſecundi, melius præparare ac digerere, tertii molere, & in pultem redigere exuccam plerunque eſcam, quæ molitio inſuper adjuuatur deglutitis ſiliculis, & quibuscunque aſperioribus. Hæc, de qua hactenus, Ventriculorum ſtructura perfectior longe eſt in *Auibus mundis*, & graniuoris, *immundis* è contra & carniuoris tenuior, membranoſior, carni eique ſæpe putrilaginoſæ di-

gerendæ ſufficiens. Hinc rurſus petenda diſcriminis inter mundas & immundas, licitas & prohibitas, ratio, cui ſociari poteſt ipſa Cadauerum eſca immunda, qua victitant carniuoræ, πτῆνα σαρκοφάγα, Ægyptiis quoque Sacerdotibus prohibita, teſte *Porphyrio de Abſtin.* L. IV. §. 7.

Ante inſinuandum, quàm ad enumerationem ſpecialem *Auium* prohibitarum pergo, *rapacibus* his à DEO Creatore datam eſſe ſtructuram vitæ generi prorſus conuenientem, *caput grande, collum breue, Roſtrum & Ungues aduncos, validos & acutos, ad rapinam & lanienam comparatos: femora valida & muſculoſa, ad prædam feriendam & dejiciendam: ——— inſigne viſus acumen, ad prædam diſpiciendam. ——— fœminas, quæ non ſibi tantùm, ſed & ſoboli proſpicere debent, maribus corporis mole majores eſſe, formâ ſpecioſiores, viribus fortiores, indole generoſiores, ferocioresue. Willoughb. ornithol.* p. 25. Nec omittendum, mortuis his Auibus carnem citius putreſcere, quam aliis, ex quo etiam indicio conſtat, minus benè nobis illarum carnem conuenire.

Ex generali hac Auium rapacium, quæ immundis accenſentur, deſcriptione, quæ inprimis interiorem Ventriculi ſtructuram ſpectat, patet, non ſtatim ex primo aſpectu diſtingui poſſe mundas ab immundis, ſicuti è contrà Piſces ſquamoſi à non ſquamoſis à nemine non diſcerni facile poſſunt. Hinc, opinor, eſt, quòd ad ſpecialem Piſcium enumerationem non deſcenderit Legislator, ſed quidem ad Auium.

Prima immundarum eſt נֶשֶׁר, *neſcher*, *Aquila*, Auium rapacium diurnarum maxima, Rex Auium,

Ἀιετὸς ὀιονῶν πτεροφερέστατος.

Aquila Auium præſtantiſſima.

Quint. Smyrn. L. III. v. 353. de cujus inſigni prærogatiua multa allegari poſſent ex Authoribus profanis & ipſis Ornithologis teſtimonia, viſunda apud *Bochart. Hieroz.* P. II. L. II. c. 1. Hebræum πτηνοκράτωρος hujus (ſic Aquilam *Philo* nominat) nomen R. *Bechai* in Gen. II. deducit à Chaldæo נשר *neſar*, *decidere*, quia cum volatu ſe ſuſtulit ad Elementum Ignis, inde præceps in mare decidit. Abſurdum, quod è Philoſophia Ariſtotelico - Scholaſtica manat, commentum. Alii deriuant à נָשַׁר *defluere*, alii à שׁוּר *ſchur*, videre: potius, quæ Originatio *Bocharto* placet, à *naſara* Arabum, *roſtro vellicare*, quia roſtro eſt magis quàm omnes aliæ rapaces, aduncо, eoque carpit, ſeu vellicat, omnium fortiſſimè. Inter Synonyma hodiernorum Arabum & Turcarum non inuenio apud Lexicographos, ſpeciatim *Meninzkium* nomen נֶשֶׁר analogum, ſed quidem *nesr* pro *vulturis* Synonymo *Lex.* p. 5513. De Qualitatibus Auis hujus dabitur paſſim loquendi ſcribendiue occaſio. Nunc ea duntaxat tangam, quæ ad rem præſentem ſpectant: viſus acumine pollere inſigni, unguibus armari validis, & roſtro aduncо, peſſime olere, adeò ut contacta ab eo corpora facile computreſcant, auidam eſſe & penè inexplebilem.

Secunda eſt פֶּרֶס *peres*, Græcis γρὺψ, qua voce non intelligi debet *Gryphus* fabuloſa Auis illa, quæ nunquam ὑποχείριος ἀνθρώπων extitit, obſeruante *Origene* L. IV. in *Celſum*, pomœriis Hiſtoriæ Naturalis dudum, ipſa quoque Plinii ætate exploſa, ſed γυπαίετος, Aquila quædam roſtro inſigniter aduncо, & maximè ungulata. Sed in ſpecie determinanda variant multùm Interpretes. Samaritano eſt *bezaa*, *Accipiter*, quem & *Münſterus* habet, & *Schindlerus*, & utraque noſtra Verſio. Arabibus *Okab*, μελανάιετος. Judæis Germanis בלאבו *Blafuſs*, *Blaufuſs*, *Falconis* genus cyanopos, cœruleis pedibus, Italis apud *Geſnerum Zafiro* dictum, ab ipſo colore pedum ſapphirino. Hinc *Deodatus* in Italica Verſione *Falconem* habet, in Gallica *Girofalconem*. Apud *Münſterum* nonnemo noſtram Auem propter affinitatem vocum *Perſidi* propriam vult, quum tamen nomen hoc 900. annis poſt Moſen ſit natum, ſub Cyro, qui primus populares ſuos equitare docuit, & פרסיו Perſæ, equites dicti, qui olim erant *Cuthæi*, *Ciſſii*, *Suſiani*, *Elamitæ*. *Junius* פֶּרֶס dat Oſſifragam, *Caſtalio Anatariam*, Aquilæ ſpecies, uterque ſola originatione vocis nixi, deriuant à פָּרַס *paras*, *diuidere*, *diſtribuere*, *frangere*. Optima, quæ quidem comparuerit hactenus, ſeu opinio, ſeu conjectura, eſt *Bocharti Hieroz.* P. II. L. II. c. 5. qui in genere primò Aquilam vult, cum plerisque Interpretibus aliis, & quod Macedonibus, qui ex Orientis ſpoliis etiam Linguam ſuam auxerunt, Aquila dicta fuerit παρὰ τὸ παραὸς; *Heſychius*, παραὸς, ἀετὸς ὑπὸ Μακεδόνων. In ſpecie definienda ex defectu aliorum ſubſidiorum confugit ipſe quoque ad Onomatologiam, determinans *Oſſifragam* vel *Oſſifragum*, quod פֶּרֶס vel פָּרַשׂ notet *frangere*, & ſpeciatim Mich. III. 3. adhibeatur in fractione oſſium. Hic *Oſſifragus* in quodam Gloſſario ὀστοκόπος, ὀστοκλάστης, ὀστοκατάκτης, ὀστοῤῥαξ eſt *Dioſcoridis* φῖνις. φῖνις, inquit, τὸ ὄρνεον, ὃ ῥωμαιϛὶ καλεῖϛιν ὀϛϛίφραγον: vetuſtioribus φήνη, Arabibus *Phena*, *Mechalepha*. *Oſſifragam* Helueticam *Beinbrecher*, *Steinbriichel* dictam ita deſcribit *Geſnerus de Auib.* p. 181. ex Amici Claronenſis relatione. *Capite* erat *nudo*, & *flauo colore*, *roſtro incuruo*, *plumis albis*: *alæ hinc inde nigras habebant pennas veluti Ciconiæ*: *creſcunt fere in magnitudine Vulturis*. Sed *Oſſifraga Aldrouandi* eſt *Haliæetus Willoughb. Ornithol.* 29. In *Lexico Meninzkiano* non ulla inter Aquilæ, Accipitris, Falconis ſynonyma occurrit vox, quæ Hebrææ noſtræ *peres* ſit affinis, quæ obſeruatio haud indigna mihi videtur attentione.

Tertia Auium rapacium eſt עָזְנִיָּה *azniah*, ἁλιάετος, ut reddunt Græci, *Haliætus*, *Aquila marina*

LEVITICI Cap. XI. v. 14.
Milvus, Vultur, Æsalon.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 14.
Weihe, Geyer, Gmirle.

I.G.Pinte sculp.

marina Hieronymo, Münſtero, Caſtalioni, Pagnino, Ariæ, Junio, Deodato, nobis *Tigurinis*, Anglis *Ospray, Sea-Eagle*, Germanis *Fiſcharn, Fiſch Adler*, Geneuenſibus perperam *Falco*. Chaldæi habent ד excluſo עזניה *aziah*. Cum Hebræo conuenit Arabicum *ghæzen*, quod pro Aquila legitur apud *Meninzk*. p. 3403. Vocem hanc deriuat *Bochartus Hieroz*. P. II. L. II. c. 6. à עז oz, *robore*, & vel hinc colligit, eſſe μελανάετον, *nigram Aquilam*, Aquilarum quidem minimam, ſed robuſtiſſimam. *Valeriam* Romanorum. Hanc intelligit *Homerus Iliad.* φ. v. 252.

Αἰετῶ ὄιμαθ' ἕχων μέλανος, τε θηρητῆρος,
Ὅς ῥ' ἅμα κάρτιστός τε καὶ ὠκιστος πετεινῶν.

Aquilæ impetum habens nigræ, venatricis,
Quæ alitum ſimul eſt fortiſſima & celerrima.

Deſcribunt eam *Ariſtoteles* L. IX. c. 32. *Plinius* L. X. c. 3. & adſcribit ille ei præter robur alias dotes. Deſcriptio Melanaeti, prout extat in *Willoughby ornithol.* p. 30. hæc eſt, ſicuti eam vidit in Zelandia. *Coruo duplo major, ſed Pygargo minor. Maxillæ & oculorum palpebræ plumis deſtituuntur, & rubeſcunt nonnihil. Caput, Collum, Pectus nigra — In medio dorſo ſeu interſcapulio magna macula triangularis ex albo ruffeſcens. Uropygium ruffum. In alis minores tegetum ordines colore Buteonis tinguntur, dein area transuerſa per remiges nigra, tum alia alba, tandem ab albo quod reliquum eſt pennarum ad apices usque obſcurè cinereum.* Addit *Aldrouandus roſtri colorem corneum, ſubcœruleum, verticis & ceruicis colorem ferrugineum, obſcurum, crura propemodum tota plumis operta, vix digiti unius ſpatio nuda, eoque luteo. Haliætum* verum cum *Offifraga Aldrouandi* eundem vult *Willoughb.* p. 29. Notandum tandem, & עזניה à nonnullis haberi pro *Gryphe*, de qua fabuloſa Aue, ne eam intactam prorſus linquamus, bina adduco Numismata, unum I. *Panormitanorum*, in cujus prona caput barbatum & hirſutum, in auerſa *Gryphus* ſeu *Pegaſus* dimidiatus cum Delphino: alterum *Corinthiorum* ex *Cæcilia* Gente, cum Veneris Capite, & Pegaſo cum ſeſſore *Bellerophonte* certante cum Leone, inſcripto Q. CAECIL. NIGRO C. HEIO. II. VIR. qui Nummus eſt n. 43. in Conſularibus *Vaillantii*. In Aquilæ autem honorem ſiſto Numum ex proprio Muſeo unius ex *Ptolemæis* Ægypti Regibus, maximi moduli cum Aquila fulmigera. Fig. III.

Inſeruient explicationi Textus Icones ſequentes.

A. Aquila Scythica. 240.
B. Offifraga. 240.
C. Haliætus vel Melanætus. 41.
D. Girfalco. 241.
E. Accipiter. 241.
F. Aquilæ Sceleton. 241.
G. Aquilæ Ventriculus ex *Blaſii Anat. Anim.* p. 440.

TAB. CCXLII.

Leuit. Cap. XI. verſ. 14.

Vultur & Miluus juxta ſpeciem ſuam. Et Miluum ac Vulturem juxta genus ſuum.

SEquuntur duæ aliæ Aues rapaces ſimul & immundæ. Prima דאה *daah*, vel, ut in Deuteronomio ראה *raah*, frequenter enim propter ſtructuræ affinitatem ד & ר confunduntur. Interim, ſi Etymologiam ſpectes, differunt, imo diuerſas gignut Auium ſpecies, ראה quippe notat *volare*, ראה videre. Prior originatio pugnat pro *Miluo*, quem volunt *Hieronymus, Arabes, Münſterus, Caſtalio, Junius, Deodatus, Buxtorffius, Schindler*, alii, Auis quippe hæc alis prope immotis in Aere omnium Auium diutiſſimè libratur & altiſſime volat. *Martialis* L. IX. *Epigr.* 55.

Hinc prope ſumma rapax Miluus in Aſtra volat.

Ex Hebræo ראה factum videtur Arabum *Hida, Alhida*, apud *Andream Bellunenſem Alhada*. Et hodienum Arabes Miluum vocant *hædæet, hædat, heidele*. uti legere eſt in *Meninzk. Lex.* p. 1573. LXX. habent pro ראה γύπα, Tigurinæ *Vulturem, Geir*, ſed unde, mihi non conſtat. Pertinet autem ראה, ἰκτῖνος, ἴκτινος, ἴκτις, *Miluus, Wey, Weihe*, nobis, Anglis, *the kit*, or *Glead* ad Accipitres macropteros, ſeu alis longioribus, ſylueſtres & indociles, deſcribitur vulgaris, qui caudâ eſt forcipatâ, in *Willoughby Ornithol* p. 41.

Sequitur איה *ajah*, ἰκτῖνος LXX. Hæc *Vultur* eſt *Hieronymo, Münſtero, Pagnino, Caſtalioni, Anglicæ* & *Italicæ* Verſionibus. *Miluus* nobis poſt Arabem in Jobo, & ſequaces habet *Schindlerum*,

lerum, Geneuenſes. Jonathan reddit דייתא אוכמתא *vulturem nigrum.* Hieroſolymitanus אִבּוּ *ibbu*, *Onkelos* טרפיתא in genere *auis rapax.* Arabes in Moſe *Bubonem*, quæ Auis inter alia Synonyma apud *Meninzkium* p. 5976. vocatur *buh*, fœmina *bu het:* & Perſicè *bu hu*, vocabulis Hebraico noſtro affinibus. p. 5517. *Junius* & *Buxtorffius* poſt *Kimchium Picam* volunt aut *Cornicem, Arias variam Auem. Pomarius Vulturem* aut *Accipitrem. Abenezra auem inſularem* ab אִי Inſula. Hebræorum alii R. *Leui*, *Mardocheus*, *Aquinas* nihil determinant. *Bocharto Hieroz.* P. II. L. II. c. 8. placet Arabum Auis *aljuju*, cujus proprium eſt clamor *ja ja, al ja jao* dictus, quæ eſt in Accipitrum ſpeciebus, Ægyptiis & Syris *Algelem* dicta, Germanicè *Smirle*, Italicè *Smerlo*, *Smeriglio*, Gallicè *Esmerillon*, Anglicè *the Merlin*, *ſtaturâ parua*, cauda breui, volatu celere. Veterum *Æſalon* deſcripta in *Willoughb. Ornithol.* p. 50. inter *Accipitres macropteros* generoſiores ad Aucupium inſtitui ſolitos.

A. eſt Vultur.
B. Æſalon.
C. Miluus.

TAB. CCXLIII.

Leuit. Cap. XI. verſ. 15.

Omnis Coruus juxta ſpeciem ſuam.

Et omne coruini generis in ſimilitudinem ſuam.

CAret hæc Auis, quas aliæ dant, difficultatibus. Conſentiunt Interpretes עוֹרֵב *oreb* eſſe *Coruum*, ſicuti & Chaldæum ערבא *orba*, Arabumque *Gerab* & *Ghurab* in *Meninzk. Lex.* p. 3386. unde & Latinorum deſcendit *Coruus*, fortè & Germanorum *Rab*, Anglorum *Rauen.* Quæ Auis pertinet ad eas rapaces, quæ roſtris craſſis, longiuſculis, rectis ſunt donatæ, & manifeſtè ad immundarum Claſſem relegari debet, quia non ſolùm carniuora eſt, ſed quoque morticinis & cadaueribus delectatur, Quadrupedum, Piſcium, Auium, Hominum, imo & Aues viuas rapit atque dilaniat. Prohibetur autem expreſsè omnis Coruus juxta ſpeciem ſuam, id eſt, omne Coruinum genus, licet ſint nonnullæ pamphagæ, & Inſectis, & frugibus, & carnibus victitantes: *Picæ*, *Pici*, *Cornices*, *Upupa.* Originem nomini Hebraico dat color, עֲרֵב *ereb* eſt veſpera, עָרַב *arab*, *adueſperaſcere*, *obtenebreſcere.*

Siſtit
A. *Coruum.*
B. *Picam* variam ſeu caudatam.
C. *Cornicem.*
D. Domitiani Nummus, in cujus auerſa Coruus (al. cornix) ramo Oleæ vel Lauri inſiſtens. Ex Begeri Theſ. p. 107. vol. III.

TAB. CCXLIV. CCXLV.

Leuit. Cap. XI. verſ. 16.

Struthio, *a.* Noctua, Cuculus, Niſus, juxta ſpeciem ſuam.

a. Pro Porphyrione, alii legunt Veſpertilio.

Struthionem, & Noctuam, & Larum, & Accipitrem juxta genus ſuum.

PRima Auium, quæ heic recenſentur, & pro immundis declarantur eſt בַּת יַעֲנָה *bath jaanah*, *filia Clamoris*, vel ſimpliciter יַעֲנָה *jaanah.* Multam hæc fixit crucem Interpretibus, quæ à Prophetis refertur ad Aues eremicolas, imo & luctuoſas. Jer. L. 39. Jeſ. XIII. 21. XXXIV. 13. XLIII. 20. Thren. IV. 3. Mich. I. 8. Job. XXX. 29.

Circa eam in diuerſa abeunt Scriptores, & Verſiones. In Michea, Jeremia & Jeſaja Græci habent Σειρῆνας, *Sirenes*, quæ (*Cyrilli* ſunt verba) τοῖς ἐναλίοις ἐπωάζεσαι κόλποις, εἶτα τῆς καλιᾶς λεφθείσης ὑπὸ κυμάτων γοερὸν ἄδεσι μέλος, καὶ καταθρήνεσι τρόπόν τινα τὴν τῆς ἑαυτῶν ὠδῖνος ζημίαν, *in ſinibus Maris ouis incubant, deinde, nido à fluctibus abrepto, lugubre melos fundunt, & partus ſui damna quodam-*

LEVITICI Cap. XI. v. 15.
Genus Corvinum.

III Buch Mosis Cap. XI. v. 15.
Das Raben-Geschlechte.

I. G. Puta sculps.

LEVITICI cap. XI. v. 16.
Struthio, Noctua, Accipiter.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 16.
Strauße, Eule, Habich.

I. A. Fridrich sculpt.

Pollices Parisini.

LEVITICI Cap. XI. v. 16.
Struthio.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 16.
Der Straüsse.

I. A. Friderich. sculp.

quodammodo lamentantur. Si poetas Mythologos conferas cum Phyſicis, præſertim modernis, relegabis hanc Auim ad fabuloſas. Ne autem hujusmodi Auis Scripturæ inuolaret, quæſiuere Patres πτηνὰ ἐυχυμεῖν εἰδότα, vel etiam θρηνητικὰ, maxime canoras, luctuoſas, & proponit quidem *Cyrillus* in Jeſ. XIII. 21. ex Hebræorum mente τὴν γλαῦκα, *Noctuam*, & in Mich. I. 8. τὰς ἀηδόνας, *Luſcinias*, de quibus ſciendum, eas cum Mari & fluctibus Maris nihil habere commune, unde *Bochartus Hieroz.* P. II. L. II. c. 14. pro ἀηδόνας legit ἀλκυώνας, ſecutus *Chryſoſtomum* in *Jobum* XXX. 29. ubi ita: Σειρῆνας λέγει ὠδικάς τινας ὄρνιθας, ἀλκυώνας ἢ γλαῦκας, ἄμφω γὰρ θρηνητικά. *Sirenes vocat Canoras quasdam Aues, Alcyones puta, aut Noctuas, utræque enim ſunt luctuoſæ.* Sed *Alcyon*, vel *Halcyon* marina eſt Auis, *filiæ* vero *jaana* in deſertis degunt, iisque à Mari remotiſſimis, uti circa Babylonem & Botsram Idumææ. Jer. L. 39. Jeſ. XIII. 21. XXXIV. 13. Eſt inſuper *Jaana* crudelis & ἄσοργος Thren. IV. 3. quum contra Alcyon vincat τῷ φιλοτέκνῳ χελιδόνας, prolis amore Hirundines, & τῷ φιλοίδῃ πελειάδας, amore Conjugis columbas, *Plutarcho* teſte *Lib. utra Anim.*

Pro יַעֲנָה *Noctua* exhibent *Pagninus, Arias, Junius, Tremellius, Schindler, Buxtorf*, vel *Ululam* aut *Bubonem.* Quam Auem imprimis defendit *Fullerus Miſc.* L. VI. c. 7. inprimis ὀλολυγόνα Ululæ ſpeciem *Strix* dictam, quæ à mœſto ululatu nomen habeat ut יַעֲנָה à עָנָה *anah*, à clamando, ſiue reſonando. Sed præponderant argumenta pro *Struthione*, imo & Interpretum auctoritas. LXX. habent στρουθὸν, & στρουθίον hoc in loco, & Job. XXX. 29. Jeſ. XXXIV. 13. XLIII. 20. Thren. IV. 3. Veteres pene omnes, *Chryſoſtomus in Jobum, Euſebius, Baſilius, Hieronymus, Theodoretus, Procopius in Eſaiam, Olympiodorus in Jeremiam, Aquila, Symmachus, Theodotion, vulgata.* Neque maximæ huic Aui, *Struthio* & *Struthio camelus* dictæ obſtat, στρουθὸν etiam ſignificare *Paſſerem*, quem pro יַעֲנָה agnouit *Nouatianus de cibis Jud.* c. 3. & è Recentioribus *Fullerus.* Quia vero Auicula hæc præter nomen nihil commune habet cum Struthione, ex circumſtantiis omnium locorum facilè judicari poteſt, an maxima Auis ſit intelligenda, an Auicula?

Pro *Ulula* vel *Strige* duplici inprimis pugnat argumento *Fullerus*, ſed utroque inualido. Apud *Suidam* inuenit στρουθίζων pro τρίζων, ſtridens, quod ſtrigum eſt proprium, juxta illud *Ouidii Faſtor.* L. VI.

Eſt illis ſtrigibus nomen, ſed nominis hujus
Cauſa, quod horrendum ſtridere nocte ſolent.

Sed ex *Homeri Iliad.* β. v. 314. conſtat, τρίζειν eſſe quoque Paſſerum: ibi Draco paſſerculos octo cum matre.

- - - - ἔλεινὰ κατέφθιε τετριγῶτας.

Vorauit miſerabiliter ſtridentes.

Porrò in Gloſſario Ululam non duntaxat vocari dicit ὀλολυγῶνα ſed & στρουθὸν. *Strix*, ὀλολυγών, στρουθός. Sed oſtendit *Bochartus*, locum eſſe mendoſum, & στρουθὸς pertinere ad στρουθοκάμηλον.

Chaldæi tres, *Onkelos, Jonathan* & *Hieroſolymitanus* pro יַעֲנָה habent נַעֲמָא *naama* vel נַעֲמִיתָא *naamitha.* Syrus *naama.* Arabes *naam, naama, ne-am, ne-amet. Meninzk. Lex.* 5207. quibus omnibus ſignificatur *Struthio.* Conſtat id ex Lexicographis, Hiſtoricis, Geographis, Medicis, Philoſophis Arabum. Ipſis Hebræorum doctiſſimis יַעֲנָה eſt *Struthio. Maimonidi de cib. vetit.* c. 3. *Talmudis* Gloſſatoribus *Abr. Peritſolio, Chazkuni* in Leuitico, *Dauidi de Pomis.* Unde Judæis ſemper fuit perſuaſum, Struthionis eſum in Lege eſſe prohibitum.

Pergimus ad cauſas Legis prohibitoriæ Phyſicas. Eſt Struthio Auis humi nidificans, obuia omnia ſine delectu vorans. Et ſunt tam Oua, quàm Caro, δύσπεπτα, καὶ κακόχυμα, ἅπαντα τὰ μέρη σκληρὰ καὶ δύσπεπτα καὶ περιττωματικὰ, *omnes partes duræ concoctu difficiles, & excrementitiæ. Gal. de cib. bon. & prau. ſucc.* c. 6. & de *Alim. Fac.* L. III. c. 20. de ouis in ſpecie. c. 22. eſſe φαυλοτέρα, *peſſima.* Conſentiunt Arabes Medici, *Aetius Tetrab.* L. I. *Serm.* 2. c. 131. 134. *Sim. Sethi, Rhazes.* Eſt autem cauſa hujus φαυλότητος quærenda, quod ſupra feçimus paſſim, in Viſcerum, Ventriculorum inprimis, ſtructura. Lucem heic affundit Anatome *Struthionis*, quam luci dedit publicæ *Vallisnerius nelle Eſperienze & Oſſervazioni ſpettante alla naturale e Medica Storia.* p. 155. offendit is Ventriculum duplicem magnum ſacciformem, in primo varia raptim & inconſideratè deglutita, Herbas, Legumina, Lapides, clauos, funes, vitra, numos, Plumbum, Stannum, Æs, Animalium oſſa, Fructus, Ligna. Structuram ipſius Ventriculi mixtam veluti ex illa, quæ Quadrupedum ruminantium eſt, & alia, quæ Auium: eſt quippe ſecundus muſculoſus, craſſius & fortis, ſed ejus interior tunica non, ut in Gallinaceo genere, dura, aſpera, verùm tenera, villoſa, in multas cellas, ut in Ruminantibus diuiſa: fermentum ſtomachicum valde corroſiuum, cui potius quàm vel triturationi muſculorum, vel deglutitis aſperioribus, digeſtionem etiam ſolidiſſimorum tribuit, imo metallicis lapideisue corporibus potius vim corroſiuitatis illius temperatiuam, Ferro ſpeciatim Sanguinis condenſatoriam, & carnis ſolidatiuam. De qua Carne obſeruauit Anatomicus noſter, adeò eſſe ingratam, ut & Canes & Feles de ea quidpiam guſtare detrectauerint.

Illuſtrandæ huic explicationi facit Icon Ventriculorum ipſorum ex Struthione Tab. CCXLV. ubi a a. Ventriculus primus. h. Glandulæ ejus cum oſculis excretoriis, è quibus promanat fermentum ante deſcriptum acerrimum. i. Pars membranæ internæ glanduloſæ Ventriculi inuerſa. l. eadem membrana absque Glan-

dulis. m. pars externa primi Ventriculi. o. Oeſophagi Ventriculum intrantis Portio. g. utriusque Ventriculi connexio. r.r. Ventriculus ſecundus. c.c.c. Membranæ ejus inuerſo ſitu conſpicuæ. d.d. pars interior celluloſa & rugoſa. e. e. clauus ferreus, quem Ventriculi ipſius ſubſtantiæ infixum offendit Anatomicus; f. Tumor ex fibris circa dictum Clauum congeſtis. f. Tumor alius priori oppoſitus. t. foramen à dicto clauo Tumori huic impreſſum. u. Pylorus. n. Inteſtini Duodeni portio.

Utut autem Caro Struthionis male in Scriptura & Natura audiat, dantur tamen Populi, in Africa & Arabia, qui illâ veſcuntur, στρουθοφάγων nomine jam olim apud *Agatharchidem*, *Diodorum*, *Strabonem* inclyti. Imò verò menſis Regum Perſicorum illatos στρουθίας Ἀραβίας, Arabicos Struthiones memorat *Athenæus* L. IV. c. 9. Et apud *Ælianum Hiſt.* L. XIV. c. 13. Regi Indorum ſunt ἐπαόκλα, bellaria, Struthionum oua. In Syria Struthionum eſui ita aſſueti erant *Heliogabalus* & *Firmus* teſtibus *Lampridio* & *Vopiſco*, ut ille *Struthiones exhibuerit in cœnis aliquoties*, imo 600. *Struthionum capita una cœna multis menſis exhibuerit, ad edenda cerebella*, hic *Struthionem ad diem comediſſe* legatur.

Silentio prætermitti non debet, quòd Moſes ſpeciatim prohibeat eſum בַּת יַעֲנָה *filiæ jaana*. Torſit hoc Epitheton Hebræos Doctores, eò usque, ut fuerit apud *Abenezram*, qui voluerit eſſe ſpeciem Animalis, quod nullos habeat mares. R. *Moſes Maimonides* filius intellexit *ouum Struthionis*. Et Abenezra ipſe prætendit, ſolam Struthionis fœminam eſſe edulem, eamque non adultam. Omnia hæc pro more ἀπροσδιονύσως. Obſeruandum, Chaldæos *filii filiæque* nomen Auibus præfixiſſe ſine reſpectu ullo ad ætatem, & ſexum. Leuit. XI. 13. בַּר נֵזָא *bar geza*, *filius roboris*, eſt *Gryphus* Deut. XIV. 13. בַּר חוּרְיָא *bar churia*, *filius albedinis*, albus *Accipiter*, בַּר יוּכְנֵי *bar jucne* in Talmudico Tractatu *Bechoroth* c. 9. Auis illa fabuloſa portentoſæ magnitudinis. Ita quoque Arabibus *Anas* vocatur *filius Aquæ*, *Coruus filius Ceruicis*, ut alia taceam. Et ſciendum, in Struthionum genere mari præferri fœminam propter oua, quæ magni ſunt pretii: præterea ſæpius & facilius capi fœminas, elabi plerunque mares: fortè &, ut in aliis Auium, præſertim rapacium generibus, fœminæ maribus ſunt fortiores.

Altera Auium præſenti conſiderationi ſubjiciendarum eſt תַּחְמָס *thachmas*, ἄρπη, ex rapacibus ita dictis, ſi vocis Radix eſt חָמַס *chamas*, *rapere*, vim inferre. Placet hæc originatio Judæis Doctoribus, *Kimchio*, *Aquinati*, *Pomario*, qui Falconem vult, aut aliam illi ſimilem, *Arias* hinc *Accipitrem*. Tendunt & eò *Jonathan* & *Hieroſolymitanus*, qui habent חטפית *chataphitha*, vel חטופית *chatophitha*, à חָטַף rapere. Senioribus Græcis placet γλαῦξ, *Noctua Hieronymo*. Quam Verſionem inprimis fulcit *Fuller Miſc.* L. VI. c. 9. Forſan & in *Onkelo* צִיצָא *ſiſiſa* Noctua eſt, ut Græce τυτώ. *Heſychius*. τυτὼ ἡ γλαῦξ. Juxta *Bochartum Hieroz.* P. II. L. II. c. 15. τὸ πρῶτον ψεῦδος latet in voce חָמַס *chamas*, quod non ſignificat rapere, ſed *iniquè agere*, proinde quærit Auem non tam rapacem, quam impiam, iniquam, inuenitque *Struthionem*, quæ *in Terra deſerit oua ſua, in puluere calfacere ſolet: ac obliuiſcitur, quum pes prouoluit, ut fera conculcet ea; duriterque tractat pullos ſuos, perinde atque non eſſent illius.* Job. XXXIX. 17. 18. 19. *(Quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea? obliuiſcitur, quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui.)* Hoc ſanè nomine *Struthio* Arabibus vocatur *Dtalim*, *Zælim Meninzk. Lex.* 3175. *impius*, iniquus. Eſt itaque תַּחְמָס *Struthio*, & quidem mas, & nomini congruit Arabum modernorum *tewmet*, *tiiwmet*, *tümet*, quæ vox *Ouum Struthionis* ſignificat apud citatum *Meninzkium* p. 1480. Nos Tigurini diſſentimus ab ipſis nobis, in Latina Verſione placet *Noctua* cum *Hieronymo*, in Vernacula *Struthio*, mas, *der Strauſs*. Ne cui autem videatur mirum, ſi in eodem verſiculo offendat marem cum fœmina. Occurrunt & Gen. XXXII. 14. *Capræ & Hirci*, *Oues* & *Arietes* Gen. XLV. 23. *Aſini* & *Aſinæ*. Supra ſufficiebant נֶשֶׁר & עוֹרֵב, quia ſub his vocibus totum *Aquilarum & coruorum* genus continetur. Sed *Struthionis* nomen Genericum non habent Hebræi; Neque apud Ornithologos modernos alium characterem diſtinctiuum habet *Struthio*, quàm quòd ſit *Auis terreſtris maxima, ſingularis, & ſui generis, ob corporis molem & alarum paruitatem ad volandum omnino inepta. Willoughb. Ornith.* 104.

Sequitur in immundarum Auium ordine שַׁחַף *Schachaph*, Chaldæis שַׁחְפָּא *Schachpha*, Arabibus *Saph*, Samaritano *Sopha*. Hæc à variis varie explicatur. Græcis, *Hieronymo*, *Münſtero*, *Caſtalioni* placet *Larus*, *Junio Æſalon*, *Deodato Fulica*, *Folica* in Italica, ſed *Mouette*, *Larus* in Gallica verſione: Geneuenſibus, Anglis, nobisque Tigurinis *Cuculus*, *der Kukuk*, quem quoque agnoſcit *Olaus Rudbeck* in *Nora Samolad* ſiue *Laponia illuſtrata*, id inter alia obſeruans, quòd hæc Auis Autumno pennas mutet, & *Niſo* tunc ſimilis euadat, *Ariæ Phitica Auis*, alludendo ad morbum שַׁחֶפֶת *Schachepheth*. Leuit. XXVI. 16. Deut. XXVIII. 22. qui φθίσις, ἀτροφία ſit. Hinc & *Bocharto Hieroz.* P. II. L. II. c. 18. vero videtur ſimile, שַׁחַף Auem ita dictam eſſe à Tabe, eſſeque Larum leuitate omnes Aues molis ratione ſuperantem, ſpeciatim κέπφον, *Cepphum*, quæ plumæ plurimum, ſed carnis minimum habet. Sanè κέπφος etiam nomine ſuo accedit ad *Schachaph*, & κεπφοῦσθαι. Prou. VII. 22. notat non ſolùm *efferri*, ſed &, *leuiter circumagi cepphi inſtar ad omnem Ventum*, *facile* etiam *decipi*, & *ineſcari*. Pertinet autem *Cepphus*, de quo non adeò conſentiunt

LEVITICI Cap. XI. v. 17.
Bubo, Noctua, Onocrotalus.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 17.
Eule, Kautz, Kropf-Gantz.

I. A. Fridrich sculps.

LEVITICI Cap. XI. v. 17.
Ardea, Ibis.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 17.
Reiger, Ibis.

M. Tyroff sculps.

ſentiunt Ornithologi, ut omnes *Lari*, ſub Titulum *Auium palmipedum tetradactylarum digito poſtico ſoluto*, ſuntque *roſtro anguſto in extremo non adunco*, *macropteræ & volaticæ*, & differunt tum caudâ æquali, vel forcipata, tum coloribus, uti videre eſt in *Willoughb. Ornithol.* p. 261.

Ultima Auium noſtri Textus eſt נֵץ *nets*, *Accipiter*, ex omnium Interpretum conſenſu, Syris *natſa*, *nitſa*, Chaldæis נצא *netſatſa*, ſic & Samaritanis. Nomen à נָצַץ *natſah* volare. Volatu quippe hæc Auis maximè præſtat. Apud Homerum Iliad. ό. v. 237. cluet ὠκίτος πετεηνῶν, Auium perniciſſimus, in *Heſiodi Apologo* ὠκυπέτης, pernix.

Vix credas paruo quàm tempore longa locorum
Interualla volans ſuperet, quàm multa peragret
Æquora.

Ita de Accipitrum volatu in genere *Thuanus de Re Accipitraria* L. II. Hinc apud Ægyptios *Accipiter Ventorum* fuit ſymbolum teſte *Horo* L. II. c. 14. apud *Tentyritas Ignis*, propterea Soli conſecratus, διά τε τὸ ὀξὺ τῆς κινήσεως, propter motus velocitatem. *Euſtath. in Odyſſ.* ό. Adeò ſacer, ἱερὸς fuit ἱέραξ, Accipiter, ut qui eum necauerit in Ægypto, morte puniretur. Ὅς δ' ἂν ἶβιν ἢ ἱέρακα ἀποκτείνῃ, ἤντε ἑκὼν ἤντε ἀέκων, τεθνάναι ἀνάγκη. *At quisquis Ibin aut Accipitrem necauerat, ſiue volens aut inuitus necaſſet, eum mori neceſſe eſt.* Ita *Herodotus in Euterpe.* Accipitrum ſpecies eſt, quam noſtra Verſio habet, *Niſus*, *Sparuerius*, *der Sperwer*, Anglis *Sparrow-hauk.* Sanè Niſi vox deſcendere videtur ab Hebræo נָץ, cui adjungi debet ex *Meninzk. Lex.* p. 5291. Arabum *nehſel*, quod Accipitrem notat.

In Tab. CCXLIV. eſt.

A. Struthio.
B. Ulula.
C. Noctua.
D. Accipiter.
E. Fulica.
F. Cuculus.

In Tab. CCXLV.

Fig. I. Ventriculi Struthionis.
Fig. II. Sceleton Struthionis.
Fig. III. Ouum ejusdem Auis.

TAB. CCXLVI. CCXLVII.

Leuit. Cap. XI. verſ. 17.

Nycticorax, Mergulus, Bubo. Bubonem & Mergulum, & Ibin:

IN Auium immundarum ſerie ſequitur כּוֹס *chos*, LXX. *Aquilæ*, *Theodotioni*, *Hieronymo*, Nobis Tigurinis νυκτικόραξ, *Symmacho Upupa*, aliis, *Hieronymo* intimante *Epiſt.* 135, *Noctua* & *Bubo*. Arabes reddunt *album*, quæ vox etiam Noctuam, quæ ipſa in *Damire coruum noctis* audit, ſignificat. *Jonathan* habet צירא *tſajera*, *Onkelos* קריא *Kadia*, *Joſeph.* cœcus קיפופא *Kiphupha*, Syrus *auda*, Samaritanus *tſadia*, quæ voces omnes *Noctuam* aut *Bubonem* volunt. His accedunt & Hebræi, licet quidam ex iis *Falconem* interpretentur, alii *Cuculum*, alii *Illicem*, alii *Strigem*, alii *Pellicanum*, & *Kimchius* in *Lexico* כּוֹס pro Aue ignota declaret. Jungo his ex *Meninzki Lex.* p. 699. 1918. 4084. Arabum & Turcarum *baikus*, *baikuſi*, *beikus*, Perſarum *Kuf*, Germanorum *Kautz*, *Kutz*, *Kaiizlin*, quod poſtremum Verſio noſtra Vernacula habet. Quibus vocibus τῷ כּוֹס affinibus Noctua denotatur. Pro qua itaque pugnaret & Gentium & Interpretum auctoritas. Pertinent & Noctua & Bubo cum ſuis variantibus ſpeciebus ad Claſſem Auium rapacium Carniuorarum, nocturnarum, quæ ſubdiſtinguuntur in auritas & non auritas. Et vel inde ſtatim patet, cur ad immundas ablegari debeant.

Suſpicatur *Bochart Hieroz.* P. II. L. II. c. 21. eſſe fortè כּוֹס *Onocrotalum*, qui Romanis *Truo* dictus, à vaſis genere *Trua*, Arabibus *Alhauſal*, *ingluuies*, quaſi ſit tota hæc Auis ingluuies, habet quippe περιγορεῶνα μέγιςον προσεμφερῆ κωφύκῳ, *ingluuiem ampliſſimam ſacco ſimilem. Ælian.* L. XVI. c. 4. hinc & Græcis Κήλας dicta propter Κήλην, ſeu βρογχοκήλην, tumorem ſtrumoſum in gutture, hinc & Germanis *Kropfgans*. Notat autem & כּוֹס vas, ſiue poculum, ſiue Truam. Nec potuit Auis hæc eſſe ignota Judæis, quippe circa Syriæ Antiochiam & Palæſtinæ Gazam, in Ægypto item frequens. Et vero videtur conſentaneum *Bocharto*, Seniores reddidiſſe νυκτικόρακα, quod pro כּוֹס legerint בּוֹם *bum*, quæ vox notat *Coruum noctis* ſeu *noctuam*. *Bocharti* conjecturæ fauet, quod Perſæ *Onocrotalum*, ſic & *Struthionem* & *Aquilam* vocent *Senkchor*, *Senkchore*, uti videre eſt in *Meninzk. Lex.* 2688. *Chos* in *Chor* facile mutabili. Quicquid ſit, præferenda ne *Noctua* an *Onocrotalus*, certum

hoc eſt, eſſe quoque *Onocrotalum* auem carniuoram, nempe Piſciuoram, immundam, licet pertineat ad palmipedes, tetradactylas, propter vitam, quam degit in Aquis.

Incertum magis adhuc, qualisnam ſit Auis, quæ nunc ſequitur, שָׁלָךְ *Salach*, Græcis καταῤῥάκτης, quod Epitheton eſt Auium prædatricum, quæ cum impetu in prædam ruunt præcipites, quod faciunt Aquilæ, & Accipitres, καταῤῥάκται hinc quoque dictæ. Sed heic eſt שָׁלָךְ alia ab illis Auium ſpecies. *Suidas* καταῤῥάκτης εἶδος ὀρνέε θαλασσίε. *Catarrhactes Auis marinæ ſpecies.* Addit *Ariſt. Hiſt.* L. IX. c. 12. ἔλαττον ἱέρακος, *Accipitre minor.* Ex *Oppiani Ixeuticis* allegante *Voſſio in Melam.* p. 73. conſtat, *Catarrhactem* ſcopulis littoribus & petris ſupra Aquam eminentibus inſidere, & ubi Piſces natantes viderit altius volare, & pennis omnibus contractis in Mare quouis telo celerius ſe præcipitare, atque ad ulnæ ſpatium immergi, donec comprehenſum Piſcem extraxerit: imo ἑαυτὸν καταῤῥάσσειν, ſeipſum dejicere, in ipſos ſcopulos ſuper imagines Piſcium in Tabulis pictas, ſicque capi. *Onkelos* & *Jonathan* habent heic שלינונא *Salenuna*, ſic & *Syrus*, ſed diuerſis vocibus, *ſale nuna*, quod reddunt prædonem Piſcium, à שלל *deprædari.* Arabes *Zummag*, cujus duæ ſunt ſpecies, una, quæ huc pertinet, in Ægypto *nauras* dicta, Piſcibus inhians. *Hieronymo* placet *Mergulus*, ſic & *Pagnino*, *Ariæ*, *Caſtalioni*, *Junio*, *Buxtorfio*, *Italis*, *Geneuenſibus Tigurinis in Latina: Münſtero*, *Schindlero*, nobisque in vernacula Verſione *Reigel*, *Ardea. Ferrario Larus*, *Galuia*, *Fulica.* Sanè ad *Laros* quoque, eosque fuſcos & griſeos majores pertinet *Catarrhactes* Anglorum *Gannet* dictus, & *Catarrhactes Aldrouandi* apud *Willoughb. Ornithol.* p. 265. Angli exponunt *Cormorant.* i. e. *Coruum Marinum; vel aquaticum.* Ineptiſſimus omnium *Pomarius*, qui Latinum *Mergulum* Italicè reddit מרלו *merlo*, quaſi ſit *merula.*

Sequitur יַנְשׁוּף *janſuph*, & יַנְשׁוֹף *janſoph*, cujus rurſus occurrunt diuerſæ admodum interpretationes. Samaritanis eſt *barbari* i. e. barbarica Auis, quæ expreſſio nil poſitiui indicat. Græci & *Hieronymus* habent ἶβιν, *Ibin*, quæ juxta Jeſ. XXXIV. 11. in Idumæa habitat. Eſt autem *Ibis* Auis Ægypto propria, quod ex *Herodoto*, *Strabone*, *Plinio*, *Solino*, *Ammiano*, conſtat. Syrus, & uterque Chaldæus, *Jonathan* & *Onkelos* reddunt קפופא *Kiphupha*, i. e. *Bubo*, vel *Noctua.* Placet hæc quoque *Bocharto Hieroz.* P. II. L. II. c. 22. uti & Tigurinis, qui in Latina offerunt *Bubonem*, in Vernacula *Huhu*, aliàs dicimus *Eül*, *Heüel.* Huc & tendit Etymologia vocis יַנְשׁוּף à נֶשֶׁף *neſeph*, *crepuſculum*, *tenebræ.* Eſt autem *Bubo* Auis rapax, nocturna, hinc & feralis, & inauſpicata. Arabes exponunt *Albaſak Accipitris* ſpeciem, & in Jeſaja *albubara*, quæ vox non ſignificat *Bubonem*, ut *Gabriel Sionita* voluit, ſed *Tardam* ſiue *Otim*, Germ. *Trapp*, *Akertrapp.*

In his Tabulis ſeſe ſiſtunt

A. Bubo: the great Horn - Oul on Eagle-Owl. 246.

B. Noctua, ex rarioribus, minor, ex pallido & fuſco varia. Ill. Sloane Nat. Hiſt. of. Jamaica. Vol. II. p. 296. Tab. 255. Caprimulgus ſeu Noctua Saluatica Jamaicenſis minor. Raji Syn. p. 180. —

C. Onocrotalus. —

D. Ardea, eaque cinerea major. 247.

E. Ejusdem Sceleton. —

F. Ibis. —

G. Manus votiua pro ſalute prolis maſculæ à conjuge ſuſceptæ, in qua Ibis Iſidi ſacra, cum aliis Hieroglyphicis. Ex Begeri Theſaur. Brandenb. Vol. III. p. 404. —

H. Hadriani Nummus, in cujus auerſa ÆGYPTUS ſiſtrum Iſidis prætendens, ſiniſtra calatho ſpicis referto innixa, aſſiſtente Ibide. Id. Theſ. Elect. p. 654. —

I. Athenienſium bini Nummi cum Noctua urbis ſymbolo & Minerua patrona. Id. p. 470. Tab. 246.

TAB.

LEVITICI Cap. XI. v. 18.
Cygnus, Vespertilio, Pelecanus.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 18.
Schwan, Fledermaus, Löffel-Gans.

I. G. Pintz sculpsit

LEVITICI Cap. XI. v. 18.
Ardea Stell: Merops, Vultur aur:

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 18.
Rohrdomel, Kruich, Gold-Geyer.

I. A. Corvinus sculps.

TAB. CCXLVIII. CCXLIX.

Leuit. Cap. XI. verſ. 18.

Porphyrion, *a.* Ibis, Pelecanus.

a. al. Veſpertilio.

Et Cygnum, & Onocrotalum, & Porphyrionem.

NOua heic Auium immundarum, ſed ſatis ambiguarum, *triga*. Prima תִּנְשֶׁמֶת *thinſemeth*, volatile heic, ſed v. 30. reptile. Græcis *Porphyrion*, πορφύριων, Auis aquatica in Lybia & Comagene Syriæ, à colore roſtri, pedum & pennarum, quæ cœruleæ ſunt, ſic dicta. *Hieronymo Cygnus*, *Jonathani* אותיא *Otia* i. e. *Otus*, ὠτὸς nocturna Auis, ὅμοιος τῆς γλαυξὶ, καὶ περὶ τὰ ὦτα πτερύγια ἔχων. ἔνιοι δὲ αὐτὸν νυκτικόρακα καλοῦσι. *Noctuis ſimilis, & circa Aures pinnulas habens; Nycticoracem nonnulli vocant. Ariſtot.* L. VIII. c. 12. *Onkeloſo* בותא *bautha*, vel *bauetha*, βύας, *Bubo*, Arabicè *al buho* à cantu. Syrus reddit *Cocabi*, i. e. ἀστερίας, *ſtellaris* ut prima fronte videtur, ab ἄστρον, ſtella. Eſt autem hoc Ἀστερίας nomen nunc *Aquilæ* epitheton apud *Ælian. Hiſt.* L. II. c. 39. nunc *Accipitris* genus, ut *Ariſtot. Hiſt.* L. IX. c. 36. nunc *Ardeæ*. Id. L. IX. c 11. *Plin.* L. X. c. 60. vel *Cocabi* idem eſt quod *Cocabenum*, *Cocabænatum*, cujus nominis in Syria & Arabia plura oppida. Flectit *Bochartus* L. II. c. 23. rurſus hoc *Cocabi* Syrorum ad *Noctuam*, quæ & nobis Tigurinis in vernacula placet, hæc quippe *cucubare* dicitur Auctori *Philomelæ*.

Noctua lucifuga cucubat in tenebris.

Ariſtophani in Auibus Noctuarum hic Cantus exprimitur geminata voce κικκαβᾶν, ipſæ Noctuæ Scholiaſti dicuntur κικκαβαὶ. *Heſychius.* κοκκαβάφη γλαυξ, potius κοκκαβὰ ἡ γλαυξ. Eodem pertinet fortè Samaritanum *Kaphapha*, Chaldæum קפופא *Kephupha*. Alia, & meo judicio fortior conjectura deſumi poteſt ab Auis colore. Anſam huic conjecturæ dat & fortè fundamentum *Aluco minor Aldrov.* Strigis ſpecies, quæ ob pulcherrimos colores & puncta paſſim interſperſa *Aſteriæ* nomen omnino meretur, atque ſic Syrorum *Cocabi* formâ ſuâ reſpondet. Hanc Auem nidulari vidimus A. 1723. in Carcere publico *Wellenberg* dicto, quæ cucubante ſuo clamore aliquamdiu terrores incuſſit vicinis. Anglis dicitur *the common Barnowl*, *white Owl*, *church Owl*, Germanis *Kirch Eül*, *Schleyer Eül*. Arabes habent pro תִּנְשֶׁמֶת *Sabin*, quæ vox non *Cygnum* notat, ut *Giggejus* vult, aut *Porphyrionem*, ſed Auem prædatricem è γαμψωνύχων genere, ſpeciatim *Falconum*. Ex Judæis R. *Solomo* interpretatur קלבא שוריץ *calueſouris*. i. e. *chauueſouris*, *Veſpertilio*. Sed *Kimchius* in *Lexico* ex R. *Salomone Jarchi Noctuam*, deriuatque vocem ipſam à שמם *mirari*, *obſtupeſcere*, quia quisquis Auem illam videt, miratur & obſtupeſcit. De Auibus ſanè plurima apud Veteres legas teſtimonia, quod ad Noctuæ viſum obſtupeſcant. Unicum ſufficiat *Ariſtotelis Hiſt.* L. IX. c. 1. τὰ ἄλλα ὀρνίθια τὴν γλαῦκα περιπέτεται, ὃ καλεῖται θαυμάζειν. καὶ προσπετόμενα τίλλεσι. διὸ οἱ ὀρνιθοθῆραι θηρεύσειν αὐτῇ παντοδαπὰ ὀρνίθια. *Cæteræ Auiculæ Noctuam circumuolant, quod mirari vocatur: aduolantesque vellicant. Quapropter Aucupes eâ venantur Auiculas omne genus.*

Sequitur קָאַת *Kaath*, Græcis heic & Pſal. CII. 7. *Pelicanus*, ſic & *Hieronymo* in Pſalmo, alibi *Onocrotalus*. *Jonathan* & Syrus habent *kaka*, Arabs Erpenianus *alkuk*. Sic & Doctores quidam Judæi קוק *kuk*, alii קיק *kik*. Quæ duo apud Arabes differunt; *kuk* auis eſt aquatica longo collo, *kik cornix*. Placet autem ex Auibus aquaticis longo præditis collo *Bocharto* L. II. c. 24. poſt Græcos & *Hieronymum* Pelecanus. Mouit eum Etymologia vocis קָאַת *Kaath* à קָאָה *Kaah vomere*, quia Auis hæc conchas jam abſorptas reuomat, ut ex hiantibus in ſtomacho coctis carnes comedat, rejectis teſtis. Teſtes ſunt *Ariſtot. Hiſt.* L. IX. c. 10. & *Lib. Mirabilium. Antigonus Caryſtius Hiſt.* 47. *Plin.* L. X. c. 40. *Ælianus Hiſt. Anim.* L. III. c. 20. *Apoſtolius Cent.* XV. *Prou.* 93. *Euſtath. in Hexaem. Phile de Animal.* c. 8. Accedit, & inprimis inſeruit explicationi Pſalmi citati, Pelecani boatus ſiue ululatus. Utraque harum rationum pugnat æquè pro *Ardea*, cui reuomitionem ciborum tribuit *Plutarchus Lib. utra Anim.* *Ælianus* L. III. c. 24. clangorem ſeu mugitum Boum. *Ariſtot. Hiſt.* L. IX. c. 1. *Plin.* L. I. c. 60. ut vel ab hoc boatu *butaurus*, *Botaurus*, *Butorius*, *Taurus Plinii*, ſiue *Ardea ſtellaris*, Anglis *the Bittern*, *Mire-drum*, nobis *Lorind*, *Rohrdommel* nomina ſua nactus fuerit. Eſt reconciliatio ſententiarum haud difficilis. Sub eodem Auium aquaticarum fiſſipedum piſciuorarum genere ſunt omnes *Ardeæ*, & ipſe *Pelecanus*, cui nempe non eſt *Onocrotali* cognomen, ſed *Plateæ*, *Leucorodii*, *Albardeolæ*,

deolæ, *Löffelgans*, *Lepelaer* Belg. quæ Auis pro Ardeæ ſpecie haberi poteſt. Sic ſaluari poteſt Tigurina vernacula, quæ habet *Rordommel*, imò & Latina, cui placet *Ibis*, nam & hæc ſub generali Ardearum titulo collocatur. Potuiſſet tamen hæc, ut ſibi cum Germanica conueniret, ſeligere *Ardeæ* vel generale, vel *ſtellaris* ſpeciale nomen. *Müinſterus* habet *Upupam*, *Arias Cuculum*, *Caſtalio Onocrotalum*, & *Ibin*, Geneuenſes *Cormorant* i. e. *Phalacrocoracem*.

Agmen in hoc Verſiculo claudit רָחָם *racham* vel רָחָמָה *rachamah*, ut ſcribitur Deut. XIV. 17. de qua rurſus diſcrepant valde opiniones. *Jonathan* & Syrus habent *Serakreka*, *Onkeloſus* ירקרקא *jerakreka*, Talmudici שרקרק *ſerakrak*. Auis Judæis fauſti ominis à proprio ſibilo *ſerakrak* ita dicta, imo Meſſiam aliquando illis prænuntiatura, juxta Vaticinium Zach. X. 8. *ſibilabo eis* אֶשְׁרְקָה & *congregabo eos* ſcilicet ex toto Terrarum orbe. Non mirum proin, ſi omnem mouerint lapidem, ut ſcirent, quænam ſit hæc Auis. Germaniæ Judæi teſtibus *Müinſtero* & *Fagio* ſeligunt *Picam*, quæ & placet *Müinſtero* in Latina, *Deodatio* in Italica, Tigurinis in *vernacula Ägerſt*. Accedit Græcum Picæ recens nomen καρακάξα. Occurrit & apud Arabes *Sirikrak*, *Sikirrak*, *Siriſak*, in *Meninzk. Lex.* p. 2803. 2835. *Sirkrak*, *Sikyrrak*, *Sækyrrak*, Perſis *Caſina*, ſed ex Arabum deſcriptione conſtat, Auem hanc non eſſe *Picam*, ſed potius *Pici* quandam ſpeciem, coloribus variam. Samaritana Paraphraſis habet *naamitha*, *Struthionem*, Græci Κύκνον, *Cygnum*, *Hieronymus*, quem ſecuta Latina noſtra, *Pelecanum*, tanquam Auem φιλόστοργον, prolis amantem, רָחָם *rechem* enim *miſericordiam* notat. Notum autem ex Veterum Fabulis, Auem hanc occidere natos ſuos, per triduum occiſos lugere, deinde ſe ipſam roſtro vulnerare, & aſperſione ſui ſanguinis reuocare ad vitam. v. *Epiphan. Phyſiologus* c. 8. *Euſtath. in Hexaem. Auguſtin. in Pſalm.* c. 1. *Iſidor. Orig.* L. XII. c. 7. alii. *Junio* & *Tremellio* placet *Alerops*, δικαιότατον καὶ εὐσεβέστατον ὀρνίθων ἁπάντων, *Auis omnium juſtiſſima & piiſſima*. *Ælian. Hiſt.* L. II. c. 30.

Ex tot variantibus opinionibus nulla placet *Bocharto*, cujus ſententia definitiua L. II. c. 26. ſtat pro *Vulture*, qui Arabum Lingua his nominibus *racham*, *rachama* ſit notiſſimus, id quod fusè ex variis ſcriptoribus probatum it. In *Meninzkii Lexico* hoc Synonymon ſub titulo *Vulturis* haud inuenio, ſed quidem p. 2298. quod *Ræcham* Turcis ſit Auis Vulturis forma corui magnitudine, & *Pelecani* Synonymum, ejusque mas *jerchum* p. 5572. Si Corui duntaxat eſt magnitudine, non erit Vultur propriè ita dictus, ſed alia Auis rapax, ſeu carniuora. Meum non eſt, examini ſubjicere, quæ laudatiſſimus *Bochartus*. c. 27. ſibi ipſe contra Vulturem objicit, & regerit. Id duntaxat addendum, in Deuteronomio legi *rachamah*, רָחָמָה fœmininum ſæpiusque eadem terminatione occurrere apud Arabes, quàm in maſculino. Sic legitur in Græca *Hori Apollinis* verſione γυψ, & obſeruandum, plerisque Ægyptiis perſuaſum fuiſſe, eſſe Vultures omnes fœminas, & concipere Noto flante, vel Subſolano obuerſas. Teſtes ſunt *Horus Hierogl.* L. I. c. II. *Plutarch. Quæſt. Roman. Qu.* 93. *Ammian.* L. XVII. *Tzetzes Chiliad.* XII. *Hiſt.* 439. Atque ita per Traditionem, & Hiſtoriæ Naturalis neglectum, inualuit hæc opinio, ut è Patrum Eccleſiæ choro benè multi Vultures fœminas ſine coitu concipere ſtatuerint, imo abſurdo hoc argumento fuerint uſi contra eos, qui CHRISTUM ex virgine naſci potuiſſe negabant. Legantur *Tertullianus in Valentinianos* c. 10. *Orig. contra Celſum* L. I. *Baſilius in Hexaem. Homil.* 8. *Ambroſius in Hexaem.* L. V. c. 20. *Euſtath. in Hexaem.* p. 27. *Procopius in Eſaj. Iſidor. Orig.* L. XII. c. 7. *Theophylactus Simocatta Quæſt. Phyſ.* 8.

In Tabula CCXLVIII. repræſentatur

A. Cygnus.
B. Ejusdem Sceleton. —
C. Aluco minor Aldrouandi. —
D. Veſpertilio. —
E. Pelecanus. —

In Tab. CCXLIX.

F. Ardea ſtellaris.
G. Merops.
H. Vultur aureus.

TAB.

LÆVITICI Cap. XI. v. 19.
Ardea Coerul. Fulica, Milvus ærug.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 19.
Blaües Torind, Zöllen, Woßweyhe.

I. G. Pinz sculps.

TAB. CCL.

Leuit. Cap. XI. verſ. 19.

Ciconia & Graculus juxta ſpeciem ſuam, Upupa & Veſpertilio.

Herodionem & Charadrion juxta genus ſuum, Upupam quoque & Veſpertilionem.

NOuæ Aues, difficultates nouæ. Prima ſanè חֲסִידָה *Chaſidah* tot diuerſas admittit interpretationes, ut in certas numero Claſſes dirimere neceſſe habuerit *Bochartus Hieroz.* P. II. L. II. c. 28. I. eſt τῶν LXX. qui habent ἐρωδιὸν, Vulgata *Herodium*, *Herodionem*, i. e. *Ardeam*, Pſalterium Æthiopicum *Herodios*. Eodem tendunt Arabes, qui habent *alheirandi*, *albalſun*, *albalſan*, *malich alhazin*, quæ voces omnes, uti ex *Damir* & aliorum deſcriptionibus conſtat, *Ardeam* ſignificant. II. *Fulicam* volunt *Auguſtinus* & *Arnobius* in *Pſalmos*, Auem etiam Aquaticam, quæ apud Veteres ſæpe cum Ardea, ἐρωδιῷ confunditur. III. Symmachus in Jobo reddit κύκνον, *Cygnum*, ſed ſuſpicatur *Bochartus*, pro κύκνος legendum eſſe ἰκτῖνος, *Miluus*. IV. Sanè *Hieronymo* placet Pſal. CIV. 17. Jer. VIII. 7. Zach. V. 9. *Miluus*. Appellatur hæc Auis Arabibus hodie *hædeet*, *hædat*, *heidele* apud *Meninzk. Lex.* 1573. 2189. nominibus aliquatenus affinibus. V. Hebræi vetuſtiores habent חסידה לבנה *deja lebana*, quod per *Miluum* interpretatur *Hieronymus*, ſed *Bochartus Vulturem album*. VI. Chaldæus Zach. V. 9. Chaſida interpretatur per *Aquilam*, ſic & *Pagninus* in *Lex. Aquilam Herodianam*. Et ſcriptoribus barbaris *Erodius* eſt *Aquila major*, aut etiam *Hierofalco*, *Girfalco*, *Geyrfalk*. VII. Samaritano placet *Hirundo*. VIII. Arabes quidam in Lege ſacrum explicant *Accipitrem*. IX. in Pſalmis *Noctuam*. X. in Prophetis *alkoko*, quod *Gabriel Sionita* nunc reddit per *Gruem*, nunc per *Picam*. XI. Syrus *Ciconiam* in Jobo *Otum*. XII. Græci in Zacharia ἔποπα, *Upupam*. XIII. Lexicographis *Cyrillo* & *Phauorino* ἀσίδα eſt ςρεθοκάμηλος.

Ex tot & tam variis ſeu conjecturis, ſeu Opinionibus probabilem reddit *Bochartus* c. 29. eam, quæ חֲסִידָה reddit per *Ciconiam*. Notat vox ipſa *piam & benignam*. (חֶסֶד *Cheſed benignitas*, חָסִיד *Chaſid*, *benignus*.) Competit autem hæc virtus, ſi quæ virtutes competere poſſunt Auibus, Ciconiæ. *Romanorum uſu Auis pia vocatur*. *Ambroſ. in Hexaem.* L. V. c. 16. *Publius* apud *Petronium*.

Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita,
Pietati-cultrix, gracili-pes, crotaliſtria.

Nouit ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς τεκοῦσι, *mutuas parentibus vices rependere*, quod jubet Paulus I. Tim. V. 4. Conſule *Platonem* in fine primi *Alcibiadis*. *Ariſt. Hiſt. Anim.* L. IX. c. 13. *Ariſtoph. in Auib. Plin.* L. X. c. 23. *Solin. Ælian.* L. III. c. 23. X. c. 16. *Apoſtolium Prou.* 1161. ubi πελαργοὶ cluent ſeptem Sapientum judicio τῶν ζώων εὐδαιμονέςατα. *Origeni contra Celſ.* L. IV. εὐσεβέςεροι τῶν ἀνθρώπων. *Hor. Hierogl.* L. II. c. 55. Hinc ἀντιπελαργεῖν in frequenti apud Veteres uſu pro *par pari rependere*. Sed non ſolùm Parentes ſenes alunt Ciconiæ, verùm etiam erga alios gratitudinem ſuam teſtantur, ſi vera eſt *Æliani Hiſt.* L. VIII. c. 22. de Tarentina muliere *Heraclide* narratio, quæ cum Ciconiæ crus fractum obligaſſet & curaſſet, Anno ſequente à Ciconia *Lapidem* (*Lychnin*, *Lychnidem*, *Lychnitem*) in gratitudinis teſtimonium accepit, cujus fulgore noctu ſplendebat domus. Eſt inſuper Auis hæc erga pullos φιλότεκνος, quos etiam heſterno cibo evomito alit, τὴν ἑαυτῆς κτιζὴν (τροφὴν) ἀνεμέσας ἐκείνας τρέφει, *Æliano* teſte. Quadrat & immundæ Auis character, quem Moſes τῷ חֲסִידָה tribuit. Notum, Serpentibus veſci, & venenoſis Animalibus, & iisdem cibis nutrire pullos. *Juuen. Sat.* 14.

\- - - - - - - ſerpente Ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per devia rura Lacerta.

Hinc & Mahumedanis eſus Ciconiæ prohibitus, quam *Leklek*, *Legleg* vocant. In *Meninzkii Lex.* p. 1735. lego Turcicè *Læklæk*. p. 4183. Arabicè *Lægblægh*. p. 4190. Turcicè *Læklak*. Plur. *Lekalyk*. vulg. *Leklek*. p. 4219. Arab. *Leilek*. Placet & ad Rhombum magis quadrat propter nominis *Chaſidah* affinitatem Turcarum *Chu-hudeigh*, quod inuenio p. 1735. & generatim ὡς ἐν παρόδῳ moneo, placere magis ad demonſtrationem rei nominum Orientalium qualemcunque affinitatem, quàm ſolam, qua frequentiſſimè utitur magnus *Bochartus*, *Etymologiam*. Aliam probationem pro Ciconia dant Loca Codicis Sacri Job. XXXIX. 13. Pſal. CIV. 17. Jer. VIII. 7. Zach. V. 9. quæ Aui huic quadrant. Pugnat tandem pro hac ſententia

Interpretum numeroſa auctoritas, Syrorum, quibus חסידתא *hurba* dicitur, i. e. Maronitarum doctiſſimorum judicio, Ciconia: Arabum, qui in Jeremia & Jobo habent *alkoko*, i.e. Ciconiam, quod ex deſcriptionibus colligere licet: Hebræorum doctiſſimorum inde à 600. annis. Videri poſſunt R. *Selomo* in Legem, *Kimchius* in Jeremiam, *Pomarius* in Lexico, *Pagninus*, *Miinſterus*, *Arias*, *Caſtalio*, *Junius*, *Piſcator*, Angli, Belgæ, Itali, Galli, Tigurini in utraque, *Santes*, *Schindlerus*, *Buxtorf.*

Sequitur אנפה *anaphah*, Auis præcedenti minus cognita, valde iracunda, אף אנף *ira*, אנף *iratus fuit.* Conjectauit vel inde *Bochartus* in frontiſpicio cap. 30. eſſe *Aquilæ* genus *Zummag* Arabibus dictum, *Zumach*, *Zimiech*, à *Zamigia*, *iraſci*, *Zamag*, *ira.* In *Meninzkii Lexico* nomen hoc non inuenio inter Synonyma *Aquilæ*, ſed quidem *Zümmah* Turcarum pro Aue, quæ infantes è cunis rapit. p. 2462. *Zümmeg*, *Zümmeng*, *dii buradran* Perſ. pro Aue rapaci p. 2464. אנפה affinis eſt αἰσπαια *Aquilæ* ſpecies apud *Homerum Odyſſ.* α v. 320. interprete *Euſtathio.* Si pronitatem Iræ reſpicias, poſſet huc trahi *Falco montanus*, ſeu *montanarius*, *Bergfalk* dictus, *Alberto* teſte *genus ferum*, & *malis præditum moribus*, *iracundum*, *inconſtantis iræ.* In ſolo *Pagnini Theſauro* per *Mercerum* auctо decem diuerſas legas vocis אנפה interpretationes. *Auis*, inquit, *quam alii Picum*, *alii Miluum appellant*, *Hieronymus ſequutus Græcos Charadrium. R. Selomo dicit*, *quod eſt miluus (imò Vultur) irritabilis. Et videtur*, *inquit*, *mihi*, *quod ſit*, *quam vocant* הירון *Heron*, *Latinè Ardea. Thargum habet* אבו *ibbu*, *miluum*, *ut nonnulli interpretantur. Etiam Picam iracundam dicas. Quidam Palumbum ſylueſtrem*, *Picum alii*, *alii Græculum eſſe volunt. Quidam Recentiorum Otum eſſe putant*, *de quo Ariſt. Hiſt. Anim. L. VIII. c. 12. qui à pinnulis circa aures eminentibus ita dictus eſt quaſi auritus. Quidam Upupam credunt*, *quod ad Charadrium proximè accedit*, *quia criſtam in fronte geſtare videtur.* Addi his poteſt Syrus, qui Hebræam vocem retinet, quam *Ferrarii* Lexicon Syriacum *Porphyrionem* explicat. Samaritanus item, cui אנפה eſt *Hirundo*, & Arabes Interpretes, quorum duo editi habent *albabga*, *albabgia*, *Pſittacum*, voce παπαγὰς Græcorum modernorum & Germanorum *Papagey* ſimillima: duo verò Manuſcripta *alokab*, Aquilam: tandem *Hieroſolymitanus*, qui habet אבניתא *abnitha*, & *Jonathan*, cui placet *Vultur niger.* Ex his omnibus *Ardeam* ſeligunt *Caſtalio*, *Junius*, *Tremellius*, Angli, Galli, Itali, fortè quòd legerint apud *Ælianum Hiſt.* L. V. c. 36. *Ardeam ſtellarem* in Ægypto curatam iraſci, ſi quis eam per conuitium ſeruum appellet, εἰ τις αὐτὸν ὀνειδίζων δοῦλον εἴποι. Tigurinæ placet *Graculus*, der *Häher*, *Hätzler*, ſcilicet nos illis accedimus, qui *Picam* vel *Picum* volunt, de quo *Ouid. Metam.* L. IV. *Fab.* 7. nempe *Pico* Latii Rege mutato in *Picum* Auem.

Seque nouam ſubito Latiis accedere ſyluis
Indignatus auem, duro fera robora roſtro
Figit, & iratus longis dat vulnera ramis.

Sed nec Pici, nec Ardeæ ira, qualis ea ſit cunque, conferri poteſt cum ira Auium rapacium. Cur Judæis *Otis*, *Tarda*, *Trapp*, placeat, non prorſus conſtat, quum ad genus gallinaceum mundum hæc pertineat, & delicatiſſimis cibis annumerari mereatur, imo Auis ſit admodùm puſillanimis, minimè iracunda. Græci, dum χαραδριον vertunt, videntur, judice *Bocharto* pro אנפים *anaphim* legiſſe agaphim, ſignificat autem אגף *agaph* in Aue *alam*, in Homine *Brachium*, in amne *ripam*, & ſunt αἱ χαράδραι hiatus prope amnes aut Torrentes, in quibus hæc Auis nidificat. Sic Arabes, qui *Pſittacum* malunt, videntur אנפה deduxiſſe à ענף *anaph* ramus, ſuſpendit enim Pſittacus nidum è ramis Arborum. Sed hæc Auis, verè Indica, Moſis æuo non potuit eſſe cognita.

Sua rurſus & varia fata habet, quæ ſequitur, דוכיפת *dukiphath*, quaſi דוכיפוס *dukephoth*, *duas habens criſtas*, ſi *Pagnino* credimus. Sed nulla eſt Auis δίλοφος, & *Criſta* Hebraicè dicitur non כיפה *Kephah* vel כיפת *Kephath*, ſed כרבלה *Kirbelah.* Rectius R. *Solomo* & Talmudici Auem hanc deriuant ex כפות הודו *hodo Kaphuth*, *eminentia ſeu Criſta alligata*, nam הוד *decus*, *eminentia*, כפת *ligare*, *vincire.* Sed nec hanc Originationem admittit *Bochartus Hieroz.* P. II. L. II. c. 31. quia הוד *hod* quidem decus, eminentiam notat, ſed pro criſta nunquam ſumitur, & criſtata Auis non rectè dicitur habere criſtam alligatam, quæ illi eſt innata. Arabibus *dik* eſt *Gallus*, hinc poſſet *dukiphath* idem eſſe quod דוך כפא *duk Kepha*, *Gallus rupis.* Sanè Hebræi quidam Doctores *Gallum montanum*, *ſylueſtrem* explicant. *Elias Leuita* אורהאן *Auerhan.* Sic & Chaldæi tres, *Hieroſolymitanus*, *Jonathan* & *Onkelos*; vel tandem *dukiphat*, *gallus portentoſus*, *ominoſus*, *auguralis* poterit eſſe noſtra Auis, à דוך *duk*, *Gallus*, & יפת *japhath*, *portendere.* Hæc de nominis origine; Nunc ad rem ipſam. Sadducæi *Gallinam* vulgarem ſunt interpretati, & propterea ab ejus uſu abſtinuerunt. *Eliæ*, ut ſupra vidimus, placet *Urogallus*, *Tetrao major Aldrov.* nobis *Urhan*, *Auerhan.* *Junio* & *Tremellio Attagen* das *Haſelhun.* Sed hæ Aues omnes, utpote Gallinacei generis, & graniuoræ ad mundorum Claſſem pertinent. Superſunt LXX, qui ἔποψα, *Upupam* reddunt. Hi præ aliis aſſenſum & obtinent, & merentur. Ita vertunt *Vulgatus*, *Arabes* quatuor, qui habent *albudud*; In *Meninzkii Lex.* p. 5450. legas

gas *büdhüd*, *büdebid*, *büdahid*. Plur. *bedahid:* Quæ Auis *Galli* cognomen vel ob criſtam meretur. Sanè *Heſychius* vocat ἀλεκτρύωνα ἄγριον, *Æſchylus* πετρώδη ὄρνιν, Gallum, vel Auem ſaxatilem ſylueſtrem. Nam ὄρνιν vel ὄρνιθα ſumſerunt veteres pro Gallinaceo genere. Græci vulgò ἀγριοκόκορον, Gallum ſylueſtrem. Upupam in montium jugis & præruptis rupibus atque Syluarum receſſibus morari notum. Hinc ὄρειον (ζῶον) ἔποψ. *Ariſt. Hiſt.* L. I. c. 1. Eſt & *Upupa Gallus* ominoſus, portentoſus, auguralis, vel ipſa ſpecie.

- - - - - - cui ſtant in Vertice criſtæ,
Prominet immodicum prælongâ cuſpide roſtrum,
Nomen Epops volucri, facies armata videtur.

Ouid. Met. L. VI. *Fab.* 7. *Hujus Sanguine ſi ſe quisquam inunxerit dormitum pergens, Dæmones ſuffocantes ſe videbit. Iſidor. Orig.* L. XII. c. 7. Hujus generis ſuperſtitioſa alia, imò Magica, vel antimagica legas apud Arabes. Et, Judæos ſi audiamus, רוכיפת attulit שמיר *Samir*, *vermiculum* illum miræ virtutis, quo Moſes uſus eſt ad Gemmas Ephodo inſculpendas, & Solomon ad dedolandos Templi lapides abſque ullo ferramento. Pro *Upupa* tandem, quam & Tigurini habemus, in utraque Verſione, facit, quòd Ægyptiis vocetur *Kukupha* voce *dukiphath* affini, Syris *Kikupha* in *Ferrarii Lexico.* Ex Upupa *Alaudam* mira metamorphoſi facit *Pandectarius.* Abſurdè, nempe ex Arabum *albudud.*

Auium ultima eſt עַטַלֵּף *atalleph*, de qua nullum dubium, eſſe *Veſpertilionem.* Poſtremum hæc locum meruit, ambiguum inter Volatilia & Quadrupedia Animal, ἐπαμφοτερίζων τοῖς πτηνοῖς καὶ πεζοῖς, ἀμφοτέρων τε μετέχων, καὶ ἀδετέρων. *Ariſt. de Partib. Anim.* L. IV. c. 13. Unde *Varro* in *Agathone.*

Quid multa? factus ſum Veſpertilio, neque
In Muribus planè, neque in Volucribus ſum.

Hebræum עַטַלֵּף vel Chaldaicum עַטַלְפָּא *atallepha* ortum autumat *Bochartus* L. II. c. 32. trajectione literarum à עפטלל *aphtalel*, vel *ophtalel*, quod ſignificat *Auem tenebrarum.* עוֹף *oph* eſt *Auis*, צֵל *tſel* vel צֲלַל *tſelal*, *umbra*, *tenebræ.* Chaldæi ſcribunt טול *tul* & טֲלַל *telal.* Ita Græcis dicitur νυκτερὶς ἀπὸ τῆς νυκτὸς. Latinis *Veſpertilio* à *Veſpera Ouid. Met.* L. IV. *Fab.* 12.

Nocte volant, ſeroque tenent à veſpere nomen.

Ex enumeratione Auium prohibitarum, immundarum, licet earum aliquæ dubiæ ſint, id in genere conſtat, eſſe rapaces, carniuoras, imo & cadaueriuoras, ut immundis prorſus veſcantur cibis, imo obtinuiſſe ad hunc eundem finem ſtructuram Ventriculi aliam ab ea, quam habent graniuoræ: dari proin, & in ipſis Auibus reperiri tum cauſas, tum ſigna Præcepti prohibitorii, quo ipſam Hominum ſanitatem, ejusque conſeruationem intendit Creator optimus. Ipſi ſanè Doctores Hebræi neceſſe habuere ſigna, quibus mundas ab immundis, ſi fortè quædam minus notæ offerrentur, diſcernere poſſent. In Talmudico Tractatu *Cholin* f. 63. b. mundarum notæ ſunt tres. 1. ſi habeant digitum ſuperfluum, id eſt, calcar, quali gaudent Galli. 2. Ingluuiem Hebræis מוּרְאָה *mureah* dictam. 3. Si Ventriculus manu nudatur ſine cultro. Talis nempe Ventriculus fortis, validis muſculis inſtructus, ſtatim forma globoſæ maſſæ ſolidæ, vel à cœco manibus palpari, & à membrana adipoſa facillimè nudari poteſt. Duplicis autem hujus Ventriculi ſtructuram facere ad ciborum meliorem πέψιν ſupra vidimus.

Hac mea & aliorum Phyſicorum Hypotheſi nolo eſſe præjudicio aliis Scripturæ Sacræ Interpretibus, ſenſum Myſticum Legis in Theatrum producentibus, ubi is Rationi congruit: cum iis, fateor, concordare neſcius, qui cum *Bocharto rationem* totam *myſticam* eſſe contendunt, qui tamen paſſim in eruditiſſimo ſuo Philologico magis quàm Phyſico, opere allegat Phyſicas & Medicas. Non pugnant ſubordinata. DEUM nos veneramur ut Medicum Corporis & Animæ, ut Saluatorem, ſed & ut potentiſſimum Creatorem, & optimum Seruatorem.

Sed videamus Summi Viri conſiderationes myſticas. 1. *Rapaces*, inquit, *aues prohibuit DEUS, Aquilam puta, oſſifragam, Miluum, Vulturem, Accipitrem, Coruum &c. ut à rapina Judæos auerteret.* Quid ſi prætenderem, rapaces Aues metaphyſico ſenſu non eſſe rapaces? Eo viuunt, quod ipſis adjudicauit Creator, quod ſtructuræ ſuæ & conſeruationi eſt conſentaneum, imo ſæpe eo, quod Hominibus eſt noxium, imò Terram & Atmosphæram purgant Inſectis, Serpentibus, Araneis, Muribus. 2. *Nocturnas, puta Bubonem, Veſpertilionem, ut abjicerent opera Tenebrarum, & ſe proderent Lucis filios.* Habeo & heic, quod excipiam. Non minus congruit Naturæ, quæ Nocte fit, hujusmodi Auium euolatio, quàm diurna diurnarum, imo diurna noſtrorum Laborum executio. Eam à ſapientiſſimo Conditore obtinuerunt, Oculorum ſpeciatim, ſtructuram, ut noctu duntaxat & viam inueniant, & cibos, interdiu cœcæ. Sunt proin illarum opera bona, quia inſtitutioni Diuinæ, Legibus à DEO latis conformia, quum è contra opera noſtra Tenebrarum ſint mala, quia Legi Diuinæ aduerſa. 3. *Lacuſtres & riparias, ut Onocrotalum, Catarrhactem, Pelicanum, Ciconiam,*

quarum victus est impurissimus, & Upupam, quæ in stercore nidulatur, ut ab omni immunditia Homines arceret. Ubi obseruandum rursus, esse cibos memoratos impuros relatiuè duntaxat ad nos, puros imo purissimos, respectu habito ad illos. 4. *Struthionem denique, qui à Terra non attollitur, ut terrenis relictis ad ea tenderent, quæ sursum sunt.* Sed obstaculo mihi est rursus, ut supra Oculorum, ita heic Corporis totius & Alarum structura, talis, quæ prægrandem molem eleuare nequit. Et cur non, si sursum corda mortalibus insinuare velimus, vel ad ipsius Sacræ Scripturæ imitationem, utimur Exemplo Aquilarum, Accipitrum, Falconum, Nisorum, quæ altius sese in Aera vehunt, quàm aliæ Aues, & tamen sunt immundæ, rapaces? Abundant Mysticis hujusmodi sensibus aliàs Allegorizantes nimiùm Patres, *Clemens Alexandr. Stromat.* L. V. in *Pædagog.* L. III. c. 11. *Orig. in Leuit. Homil.* VIII. *Nouatianus de cibis Judaicis* c. 3. *Cyrillus* L. IX. *Contra Julian.* L. XIV. *de Adoratione.* Et *Bocharto* inprimis placet *Thomæ* acumen, cujus hæc sunt verba. 1.2.9.102. Art.6. *In Aquila, quæ altè volitat, prohibetur Superbia. In Gryphe, qui Equis & Hominibus infestus est, crudelitas potentum prohibetur. In Haliæto, qui pascitur minutis Auibus, significantur illi, qui pauperibus sunt molesti. In Miluo, qui maximè insidiis utitur, significantur fraudulenti. In Vulture, qui sequitur Exercitum, expectans comedere cadauera mortuorum, significantur illi, qui mortes & seditiones Hominum affectant, ut inde lucrentur.* Ego, ne mysticum sensum prorsus eliminare videar, explicationi propriæ inhærens id unicum & mihi insinuatum volo, & aliis, euitandum esse generatim omne id, impurum, ἄνομον, quod viam ad temporalem atque æternam felicitatem præcludit, & omnes neruos ad id intendendos, ut frui possimus summo, purissimoque Bono, quemadmodum in hac vita nostra necesse habemus euitare omnes cibos, qui Sanitati nostræ sunt noxii, & morbis varii generis viam aperiunt.

In Tabulis ad Versiculum præsentem 19. spectantibus visuntur

Tab. CCL.

A. Ardea cœrulea. Sloane Nat. Hist. of. Jamaica Vol. II. p. 314. Tab. 264. The Heron. Angl.

B. Fulica major.

C. Miluus æruginosus. An Circus Bellonii? Willoughb. ornithol. p. 42.

TAB. CCLI.

D. Vultur Gallinæ Africanæ facie. Sloane Nat. Hist. of Jamaica Vol. II. p. 294. Tab. 254. Urubu Brasilienſibus Marcgr. p. 207. Tzopilotle siue Aura Hernandez p. 331. The Carion Crow. Angl.

E. Girfalco. The Jerfalcon. Angl. Willoughb. Ornithol. p. 44.

F. Chrysaetos. Aldrov. Ornith. L. II. c. 2. Aquila fulua seu aurea. Willoughb. Ornithol. p. 27.

TAB. CCLII.

G. Ciconia alba. Willoughb. Ornith. p. 210.

H. In Gratiam Ciconiæ ad marginem sisto binos ex Familia Antonia Nummos, in quorum uno Ciconia, Pietatis symbolum, stat pro pedibus mulieris stolatæ, in altero adsunt duæ Ciconiæ in Vertice alius cornucopiæ, quod siniſtrâ gerit Mulier stolata. Vaillant Num. Famil. p. 94.

I. Hirundo domestica. Willoughb. Ornith. p. 155.

K. Graculus. Monedula seu Lupus Aldrov. Will. p. 85.

L. Falco peregrinus.

TAB. CCLIII.

M. Charadrios.

N. Psittacus.

O. Ejusdem Sceleton. Ex Blasii Anat. Anim. p. 444. fig. 3.

P. Urogallus.

TAB. CCLIV.

Q. Attagen. Gallina Corylorum.

R. Upupa.

S. Vespertilio.

T. Ejus Sceleton.

TAB.

LEVITICI Cap. XI. v. 19.
Vultur. Girfalco, Chryfaetos.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 19.
American. Geyer, Geyerfalck, Gold-Adler.

I.G. Pinz sculps.

LEVITICI Cap. XI. v. 19.
Ciconia, Hirundo, Graculus, Falco.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 19.
Storch, Schwalbe, Dole, frembder Falck.

I.G.Pinz sculpz.

LEVITICI Cap. XI. v. 19.
Charadrios, Psittacus, Urogallus.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 19.
Triel, Papagey, Auerhan.

I.G. Pinz sculps.

LEVITICI Cap. XI. v. 19.
Attagen, Upupa, Vespertilio.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 19.
Haselhuhn, Widhopf, Fledermaus.

I. G. Pinz sculps.

LEVITICI cap. XI. v. 20. 21. 22.
Locuſtæ.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 20. 21. 22.
Heuſchrecken.

G. D. Heuman sculp.

LEVITICI Cap. XI. v. 20. 21. 22.
Locustæ.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 20. 21. 22.
Heuschrecken.

I.A. Fridrich sculps.



LEVITICI Cap. XI. v. 20. 21. 22.
Naves Phoeniciorum.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 20. 21. 22.
Phöniciſche Schiffe.

B. S. Sedlezki sculp.

TAB. CCLV. CCLVI. CCLVII.

Leuit. Cap. XI. verſ. 20. 21. 22.

Quicquid ex volucribus repit & vadit ſuper quatuor, abominandum vobis eſto.

Veruntamen iſtud comedetis ex omni reptili pennato, quod graditur ſuper quatuor, cui ſcilicet ſunt ſuffragines ſuper pedes ejus, quibus ſaltare poteſt ſuper Terram.

Ex quibus hæc comedetis: Arbe juxta ſpeciem ſuam; & Saleam juxta ſpeciem ſuam, & Hargol juxta ſpeciem ſuam, & Hagab juxta ſpeciem ſuam.

Omne de volucribus, quod graditur ſuper quatuor pedes, abominabile erit vobis.

Quicquid autem ambulat quidem ſuper quatuor pedes, ſed habet longiora retrò crura, per quæ ſalit ſuper terram.

Comedere debetis, ut eſt Bruchus in genere ſuo, & Attacus atque Ophiomachus, ac Locuſta, ſingula juxta genus ſuum.

PErgit Legislator, & nos, Moſe duce, ad minimi generis Animalia, vel Animalcula, *Inſecta*, ἔντομα dicta, quorum conſideratio non ita eſt, ut olim, ante Microſcopiorum uſum, credebatur, abjecta, ſed maximi ad Theologiam Naturalem uſus. Agnouit id *Hieronymus Epiſt.* 22. L. II. *Creatorem*, inquit, *non in Cœlo tantùm miramur, & Terra, Sole & Oceano, Elephantis, Camelis, Equis, Bobus, Pardis, Urſis, Leonibus, ſed & in minutis quoque Animalibus, Formica, Culice, Muſcis, Vermiculis, & iſtiusmodi genere, quorum magis ſcimus corpora, quàm nomina, tandemque in cunctis veneramur ſolertiam.* Merentur heic, ad confuſionem plurium Chriſtianorum, imo & eorum ex Eruditis, qui Theologiam Naturalem parui faciunt, apponi, quæ ſcripſit *Plinius* L. XI. c. 2. *Sed turrigeros Elephantorum miramur humeros, Taurorumque colla, & truces in ſublime jactus; Tigrium rapinas, Leonum jubas, cum rerum natura nusquam magis quàm in minimis tota ſit — In magnis corporibus facilis officina ſequaci materia fuit. In his tam paruis atque tam nullis, quæ Ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio? ubi tot ſenſus collocauit in Culice? & ſunt alia dictu minora. Sed ubi viſum in eo prætendit? ubi guſtatum applicauit? ubi odoratum inſeruit? ubi verò truculentam illam & portione maximam vocem ingenerauit? qua ſubtilitate pennas adnexuit? prælongauit pedum crura? diſpoſuit jejunam caueam uti alvum? auidam ſanguinis & potiſſimùm humani ſitim accendit? telum verò perfodiendo tergori, quo ſpiculauit ingenio? Atque ut in capaci cum cerni non poſſit exilitas, ita reciproca geminauit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, ſorbendoque fiſtuloſum eſſet. Quos Teredini ad perfodienda Robora, cum ſono teſte, dentes affixit?* Non equidem hujus eſt loci, nobiliſſimum hoc argumentum explicare fuſius, eaque, quæ de Inſectorum, & minimi puncti Animalculorum ſtructura, varietate, coloribus, Generatione, Metamorphoſi, partium ſubtilitate, laboribus, actionibus, dici poſſunt, ad cognitionem DEI applicare. Auocat me, & vocat ad ſe Textus.

Quidquid ex Volucribus repit & vadit ſuper quatuor, abominandum vobis eſto. Ita Scriptor ſacer, fidus ſummi Legislatoris interpres. Id eſt, *Inſecta* omnia, alata, quæ alarum ope ab uno loco ad alium ſe transferunt, ſint immunda vobis, culinâ veſtrâ & mensâ excluſa. Obſeruanda ſunt heic nonnulla pro explicatione Textus, & notitia rei. 1. Inſecta τετράποδα nominat Moſes, ſed propterea ab immunditiei nota non liberat ἄποδα, non Millepedas, vel quæ alium à quaternario habent pedum cunque numerum, ſed ab eſu excludit Inſecta generatim omnia, exceptis duntaxat Locuſtarum illis ſpeciebus, quas mox v. 22. enumerat. 2. attentionem meretur, quod Moſes τετράποδα vocet Inſecta, quum tamen conſtet, pleraque eſſe hexapoda, & ipſas illas Locuſtas, quas excipit, non quadrupedas, ſed ſex inſtructas eſſe pedibus, quos Experientia monſtrat, & omnis Philoſophorum ætas admittit. Sed Moſen & excuſat & explicat, ipſa Naturalis Hiſtoria. E Locuſtarum ſex pedibus duo longiores & poſtremi non ſerviunt ad inceſſum, ſed ad ſaltum, proinde propriè loquendo non ſunt Pedes, ſed aliud, ſi quod nobilius inveniri poteſt, meren-

tur nomen. Imo verò à Moſe à Pedibus diſtinguuntur, & ſuo peculiari nomine inſigniuntur. En Textum ex noſtra Verſione v. 21. *Veruntamen iſtud comedetis ex omni reptili pennato, quod graditur ſuper quatuor*, (pedes) *cui ſcilicet ſunt ſuffragines* (כְּרָעַיִם *Keraaim*, crura) *ſuper* (præter) *pedes ejus* (לְרַגְלָיו) *quibus ſaltare poteſt ſuper Terram.* In Vernacula noſtra clarior foret ſenſus, ſi verba hæc אֲשֶׁר־לֹא כְרָעַיִם מִמַּעַל לְרַגְלָיו ita redderentur, *was Schenckel neben* (oder hinter) *ſeinen Beinen hat.* Hanc explicationem legesis in *Auguſtino* L. II. *Retractation.* c. 15. ubi: *Lex non computat in pedibus duo poſteriora crura, quibus Locuſtæ ſaliunt.* Dicuntur hæc ἁλτικὰ μέρια, *ſaltatoriæ partes Ariſtoteli de Partib.* L. IV. c. 6. quia nempe iis Locuſta *ſalit ſuper Terram* & *Hiſt.* L. IV. c. 9. πηδάλια, quæ *ſaltatoria crura* reddit *Scaliger*, ἀπὸ τὸ πηδᾶν, à ſaliendo. Ipſum ſi conferamus Philoſophum cum ſeipſo, erunt πηδάλια potius *gubernacula*, quia ſunt πηδαλιώδη, *in gubernaculorum formam condita.* Et conferri commodè poſſunt cum Veterum Nauibus, quæ duo habebant Gubernacula. Ita de *Carthaginenſium* nauibus *Ælianus varior.* L. IX. c. 40. δύο μὲν πηδάλια ἔχειν, καὶ δύο κυβερνήτας. Et in Pauli Naue Lucas memorat in Plurali numero τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων, *vincula gubernaculorum.* Act. XXVII. 40. Sanè Locuſtæ his ſuis cruribus ſaltatoriis ſaltus ſuos & volatus dirigunt ad dextram, ſiniſtramue: ita nempe, ut dextro attenſo ad ſiniſtram moueatur Animal, ſiniſtro ad dextram. Sic *Muſcæ*, quas quotidie videmus oculis obuolitantes, non ſunt, propriè loquendo, hexapodæ, verùm tetrapodæ, quia duo pedes anteriores manuum vices gerunt, quibus oculos puluere obſitos abſtergunt, cibos ſumunt, & quod tollendum eſt euehunt. Eadem ratio eſt *Crabronum*, *Apum*, *Veſparum.* Audi *Lucianum de Muſca.* ἑξάπες δὲ ἅπαν &c. *Cum ſit ſexipes, quatuor tantùm pedibus incedit, aliisque duobus anterioribus utitur tanquam manibus: Ipſam igitur pedibus quatuor gradientem videas, & edule aliquid manibus in ſublime tollentem, humano prorſus noſtroque more.* Similia habet *Plinius* L. XI. c. 46. v. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 9.

Hæc Interpretatio clara ſi nota fuiſſet *Franciſco Junio*, & jam ante eum *Johanni Piſcatori*, non ita ſe, ut fecerunt, torſiſſent circa Verſionem, & ſenſum Textus non, ut *Junius*, invertiſſent. Ita autem hic. *Hoc comedetis ex omni reptili volucri, quod ambulat quatuor pedibus, quod non habet crura ſupra pedes ſuos, quibus ſaliat ſuper Terram.* Hic igitur non comedenda vult, quæ Sacer Codex permittit, affirmatiuam commutans in negatiuam. Sibi autem mox ipſe contradicit, ita pergens. *Ex illis comedetis iſta, Locuſtam* &c. quæ tamen habet crura illa ſaltatoria. Nimirum ille לֹא legit pro *non*, quum tamen idem heic ſit quod לוֹ, *ei*, & juxta Maſoretharum animaduerſionem 15. locis ſcribatur לֹא pro לוֹ. Hinc eſt, quod לוֹ addiderint in Gloſſa marginali, imo ipſum Hebraicum Samaritanorum Exemplar in ipſo Textu habet לוֹ.

Sed pergendum ad cauſas Præcepti Phyſicas, circa quas ordinariè vel ſilent, vel ſeſe non adeò extendunt Interpretes, ex defectu ſcilicet Naturalis Hiſtoriæ, circa notas Criticas, vel myſticum ſenſum occupati magis. Sunt Inſecta generatim ſicut ſenſibus noſtris externis, ſpeciatim Viſui, propter nimiam ſuam paruitatem inadæquata, ita quoque toti corpori noſtro, & conſtant particulis nimis tenuibus, volatilibus, nutritioni ineptis, imo acribus, cauſticis, noxiis. Docet id nos Chymica Analyſis Formicarum, Cantharidum, Lumbricorum, Bombycum, Serici, & prolecti inde penetrantiſſimi Spiritus, Olea acria, Salia volatilia. Notum porrò eſt, plurima eſſe, quæ victitant cibis immundis, putrida Animantium aliorum carne, delectari fimo, & Excrementis ſuis ciere obuia alia in Fermentationem, proin & in Corpore noſtro excitare poſſe motus inordinatos. Notum vel in Vulgus, quàm *Muſcæ* depoſitione vel ouulorum ſuorum, vel Excrementorum, Mel, Syrupos, & hujusmodi alia inficiant & corrumpant. Ad quod alludit Eccleſiaſtes. X. 1. *Ut Muſcæ mortuæ fœtere, atque fraceſcere faciunt unguentum Pharmacopolæ, ita modica ſtultitia (perdit) quod pretioſum eſt ex Sapientia & honore. (Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem unguenti: precioſior eſt ſapientia & gloria parua ad tempus ſtultitia.)* Obſeruari meretur tandem, eſſe omnis generis Inſecta in Orientalibus illis Regionibus, quò magis ad Zonam accedunt Torridam, acrioris & venenatæ magis naturæ, & per conſequens recedere longius à vi alimentoſa reſpectu ad Corpus noſtrum habito. Hæc obſeruatio non impedit, quò minus inter munda Animalia referri queant Locuſtæ: argumenta ex alimentis deſumta videbimus infra. Et ex iis inprimis Locuſtis eæ immundis poterunt accenſeri, quæ Excrementa adoriuntur, & Cadauera, mundis, quæ in Vegetabilibus manent.

Fuere Præcepta, quæ eſum Quadrupedum, Piſcium & Auium ſpectant, negatiua magis ſeu prohibitoria: hoc nunc, quod v. 22. legitur, præſenti conſiderationi ſubjiciendum, eſt affirmatiuum ſeu conceſſorium, quia ex infinito Inſectorum numero pauca, quæ ibi recenſentur, Locuſtarum genera, pro mundis declarari poterant. Difficile erit utique, & tantùm non impoſſibile, ex ampliſſimo *Locuſtarum* Regno producere illa, & oculis ſiſtere, qualia nam ſint, tum quia Europæis Nationibus minus ſunt cognita, tum quia periere genuina nomina, horumue applicatio: idem fatum prope paſſa cum Lapidibus illis in Pectorali pretioſis, quorum quidem nomina ſuperſunt, ſed incertæ admodum ſunt ſignificationis. Tentabimus interim quod poſſumus, ſtabit pro viribus voluntas.

Pri-

Primum genus eſt אַרְבֶּה *Arbe*, quod *Abenezra* deducit à רָבָה *rabah*, *multum eſſe*, *multiplicari*, & rectè, non eſt Animal Locuſtâ fœcundius. Teſtem habemus Experientiam, ſed quoque diuerſa Sacri Codicis loca, Exod. X. 5. Jud. VI. 5. VII. 12. Pſal. CV. 34. Jer. XLVI. 23. LI. 14. Joel. I. 6. Nahum III. 15. Judith. II. 11. Sed ex æquo omnibus Locuſtarum generibus conuenit hæc generaliſſima interpretatio, neque propterea ſcimus, quale nomen ſit אַרְבֶּה. Niſi lucem fœneretur affine Vocabulum *renb*, quo Turcæ ſignificant *Locuſtam breuis caudæ* in *Meninzki Lex.* p. 2364. Sanè *Arbe* juxta Talmudicos caudâ prorſus caret. Vide plura infra.

Secunda Species סָלְעָם *Solam*, *Saleam*, *Abenezræ* dicta à סֶלַע *Sela*, petra, quia conſcendat petras, vel potius à Chaldaico סלע *vorare*, *abſumere*. Sed videt nemo non, neque hanc originationem nobis dare diſtinctum de ipſa Locuſtarum hac ſpecie conceptum, certè non poſteriorem, quia τὸ vorare, abſumere, omnibus omnino Locuſtis eſt commune, id quod triſti euentu experiuntur Regiones illæ, in quas ſeſe Locuſtarum agmina demittunt. Affinis eſt huic voci Italorum *Soliotta*.

Tertia eſt חַרְגֹּל *Chargol* fortè ab Arabico *chagala*, *in longum ferri*, *longâ ſerie produci*, ut ſpeciatim ſignificet longa illa Locuſtarum agmina, quæ aliquando per 12. Milliaria protendi ſcribit *Cadamuſtus Nauigat.* c. 13. Sed ita rurſum non indicatur certa quædam Locuſtæ, & ab aliis diſtincta, ſpecies.

Quarta חָגָב *Chagab*, fortè ab Arabico *Chaga*, *velare*, quia cum turmatim volant, Solis lumen velant, ſiue obſcurant. Ex Arabum hodierna Lingua affines ſunt voces *giabi*, *ebu giuchad*, quæ *Locuſtas* in genere ſignificant. *Meninzk. Lex.* 6017. 6020.

Hactenus, & ex Judæorum Scriptis, nihil quoad differentias Locuſtarum piſcari licuit: clarum eſt autem, diſtinctas indicari Species, vel genera diſtincta cum ſpeciebus ſuis ſubordinatis. Patet id quoque ex Joele I. 4. *Quod reliquum fecit Eruca* גָּזָם, *comedit Locuſta* אַרְבֶּה, *quod Locuſta reliquum fecit*, *comedit Bruchus*, יֶלֶק, & *quod bruchus reliquum fecit*, *comedit Robigo* חָסִיל. Ad quem Locum obſeruandum, omnia hæc quatuor nomina Locuſtis tribui, de qua re plura ſuo loco.

Apud Græcos interpretes occurrunt ſequentia quatuor ordine nomina. 1. βρῦχος vel βρῶκος, ut ſcribebant Jones, βρῶκας Cypriis, quibus ſignificabatur Locuſta viridis, Tarentinis verò *Attelabus*. Hæc *Heſychius*. Βρῶκος, ἀκρίδων εἶδος Ἴωνες, Κύπριοι δὲ τὴν χλωρὰν ἀκρίδα βρῶκαν. Ταραντῖνοι δὲ Ἀττέλεβον. i. e. Ἀττέλαβον. Inde Vulgata paſſim habet *Bruchum*. 2. Ἀττάκης vel Ἀττακὸς, forſan ἀπὸ τῦ ἄπτειν, à ſaliendo, ut aliâs *Saltarella*. Vel ἀττακὸς idem quod ἀσακὸς. In Gloſſis optimis ἀκρὶς, ἀσακὸς. 3. Ὀφιομάχης, quaſi ſerpentes oppugnet. Id quod affirmat *Ariſtot. Hiſt.* L. IX. c. 6. πολλοὶ δὲ καὶ τὴν ἀκρίδα ἑωράκασιν, ὅτι ὅταν μάχηται τοῖς ὄφεσι, λαμβάνεται τῦ τραχήλε τῶν ὄφεων. Et *Plinius* L. XI. c. 29. *Serpentem*, *cum libuit*, *necant ſingulæ*, *faucibus ejus apprehenſis mordicus*. Quia autem ὀφιομάχης ſubſtituitur τῷ חַרְגֹּל & pro *Chargol* ſcribi facile poteſt *Argol*, natam inde vult *Bochartus Hieroz.* P. II. L. IV. c. 2. Fabulam de *Argolis Ophiomachis*, de quibus *Suidas* in *Lexico*. 4. Ἀκρὶς, Locuſtis commune nomen. Sed neque ex his Græcorum nominibus aliquid clari in re obſcura, vel notas Locuſtarum διακριτικὰς, cernimus.

Si quid in re adeò dubia ſtatuere velimus, recurrendum nobis erit ad Judæorum Traditionem, & Talmudicorum ſcripta, ſpeciatim ad Tractatum *Cholin.* c. 3. f. 65. & 66. ubi ſingulis quatuor ſpeciebus à Moſe recenſitis aſſignantur Synonyma, ſpecies & deſcriptio. *Arbe* vocatur גובאי *gobai*: *Solam* רשון *raſon*: *Chargol* ניפול *niphul*: *Chagab* גריאן *gadian*. Rurſus *Arbe* congener eſſe dicitur צפורת כרמים *tſipporeth cheramim*, *aui vinearum*. *Solam* יוחנא ירושלמית *Jochanæ Hieroſolymitanæ*: *Chargol* ערצוביא τῷ *artſubia*: *Chagab* הרצבית τῷ *hartſabith*. Unde nihil adhuc elici poteſt. Sed quidem ex eo, quòd *Chargol* habeat gibbum & caudam: *arbe* neutrum: *Solam* gibbum ſine cauda: *Chagab* caudam ſine gibbo. Et ibidem de Locuſtis mundis aſſeritur, quatuor habere pedes, quatuor alas, crura longiora, & quòd alæ tegant totum corpus, quæ notæ *Gryllo* quoque competunt, quintâ exceptâ, caput nempe longius. Fatentur nihilominus Hebræorum doctiſſimi, & hos inter R. *Selomo*, ſe nec ex allatis notis poſſe determinare, qualesne præcisè ſint hæ Locuſtæ mundæ, quum tamen indubium ſit, notas fuiſſe usque ad CHRISTI tempora, quandoquidem Johannes Baptiſta veſcebatur Locuſtis mundis, in Lege permiſſis. Fatetur & ignorantiam ſuam *Bochartus*. Fons, ex quo hauriri aliquid certi, de quo non deſperandum, poterit, eſt Hiſtoria Locuſtarum Naturalis, quales ex omni Terrarum Orbe Muſeis Europæ inferuntur, exquiſita ſingularum deſcriptio, earum in ſpecie, quæ hodienum ab Afris comeduntur, nomina tandem apud diuerſas Gentes uſitata, ſi quæ fortè forent noſtris analoga. Tentare aliquid auſus eſt diligentiſſimus rerum Naturalium ex omni Orbe collector *Joh. Henricus Lincke* Lipſienſis, Amicus ex optimis in *Breſlau. Samlung.* XVI. Verſuch. p. 543. ubi Talmudicorum deſcriptioni inſiſtens Icones nobis dat Locuſtarum perplurium, & has inter mundarum infra exponendas.

Defectu nempe laboraret hæc, quam damus, ἀκριδογραφία ſacra, ſi, quam expectabit Lector, non daremus ampliorem paulò & ſpecialiorem Locuſtarum ex moderna Hiſtoria Naturæ notitiam; Longa nimis foret, ſi totam Animalculorum Hiſtoriam, ſed quoque tenuis nimis tractatio, ſi ſuperſederem iis, quæ ſcitu

ſunt neceſſaria. Notum, diſtingui *Locuſtas* in *exoticas*, elegantiores plerunque & majores, & Europæas: in alatas & non alatas; caudatas & caudâ carentes: mutas & canoras: ratione Sexus in mares & fœminas: Plerarumque capita equinis fere ſunt ſimilia, ornata retrò cucullo monachali, eoque nunc læui, nunc aſpero, plano vel conuexo, ſed quoque duabus antennis, longitudine variis & robore. Dentibus binis abradunt alimentum, & ſimul cauſantur ſtridorem. Dorſum eſt nunc læue, nunc gibboſum; Venter varius. Ex Pedibus ſunt poſteriores longiores ſemper breuioribus. Pro Generatione inſidet mas fœmellæ dorſo, duosue aculeos dorſo ultimo eminentes in fœmellæ uterum immittit, eumque fœcundat. Commixtione facta deponit hæc Ouula in Terram friabilem, arenoſam, fiſſuris hiantem, & densâ quidem ſerie congerit. Heic jacent ea per Hyemem, verno autem tempore in Vermes transeunt membranâ clauſos, donec in Locuſtas excludantur.

Nunc igitur Coronidis loco ex Celeberrimi *Kanoldi* Miſcellaneis Phyſico-Medicis Uratislauienſibus ſupra citatis, imò ex locupleti *Muſeo Linkiano* mutuò peto, Iconibusue ſiſto Locuſtas nonnullas, mundas immundasue.

Fig. 1. Locuſta Talpa Capenſis, coloris fuſci & bruni, aculeis in cucullo, dorſo & pedibus armata, coloris in dorſo quàm ventre, ſaturatioris. Pro *Chargol* hæc declaratur.

Fig. 2. Locuſta Capenſis pro *Solam* habita, cucullo denticulato, corpore craſſo, fuſco, coloris in capite dilutioris, dilutiſſimi in alis & ſummo cucullo, pedibus poſterioribus quoad dimidiam partem è rubro flauis, & aculeatis.

Fig. 3. Locuſta minor flauicans. *Chagab* edulis.

Fig. 4. Locuſta fuſco-griſea Capenſis, cujus poſteriores pedes hinc inde armantur aculeis, cucullus verò in rugas contractus.

Fig. 5. Locuſta Capenſis, duplici ornata criſta, coloris eſt albo-flaueſcentis, alis viridantibus, corpore contractiore.

Fig. 6. Locuſta ex Batauia Indiæ orientalis, ubi *Equi viridis* nomine nota, capite Perlis haud abſimili, alis ſuperioribus viridibus, inferioribus ex anteriori parte viridibus, ex poſteriori purpureis, maculis dilutioribus tinctis, corpore reliquo purpureo.

Fig. 7. Locuſta viridis Tunitana & Tripolitana, capite purpuraſcentibus ſtriis picto, Janitzarorum caputio fere ſimili, loculis ad antennas, ore ad pedes anteriores ſitis, collo cucullo Monachali tecto.

Fig. 8. Locuſta omnium pulcherrima Surinamenſis, capite cinnabarino, oculis nigricantibus, corpore annulis ex violaceo, flauo & rubro cincto, alis binis anterioribus ſaturatè viridibus, maculis paruis flauis pictis, poſterioribus initio viridibus, poſt violaceis, in cinnabarinum ruborem definentibus, flauo quoque & violaceo coloribus maculatis, pedibus dilutæ rubedinis miniato colore ſtriatis.

Fig. 9. Locuſta *Arbe* Sumatrenſis præcedenti fere ſimilis, ſed minor, capite fuſco, alis anterioribus brunis, obſcurius maculatis, pedibus rubris.

Fig. 10. Locuſta ex Europæis Saxonica, corpore, capite & pedibus atro fuſcis, maculatis: capite minore, quàm in præcedentibus, oculis ſplendentibus nigris, alis anterioribus ex fuſco colore maculatis, poſterioribus cinnabarinis, apicibus nigris.

Fig. 11. Locuſta ex maximis in China & Tartaria obuia, literata, tota fere fuſca, cucullo criſtato, maculis Alarum Characteres Arabicos vel Hebraicos referentibus.

Fig. 12. Locuſta Braſilienſis *Gaayara Moufeto* p. 118. *Mantis* dicta, Belgis *Folium ambulans*, ex Inſecto in Plantam transmutari credita, collari cincta, alis ſuperioribus graminei viroris, inferioribus flauicantibus, corpore & pedibus dilutè virentibus. *Mantis minor viridis. Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica* Vol. II. p. 202. Tab. 236. fig. 5.

Fig. 13. Locuſta, cujus Caput, Crura & Alauus veluti foliis ſunt tecta, alis quoque φυλλοειδέσι, fibroſis, tres quartas duntaxat corporis poſterioris partes tegentibus, corpore reliquo ornamentis veluti foliaceis extantibus aſpero.

Fig. 14. *Locuſta maxima cinereo-purpurea maculis brunis. Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica.* Vol. I. p. 29. Tab. I. fig. 5. Vol. II. p. 20. *Locuſta roſſa egialla. Cadamoſto.* p. 17. 109. *Locuſta Hiſpanica maxima è fuſco cineraſcens, alis punctis nigris maculatis. Raji. Hiſt. Inſect.* p. 62. & huic *congener Africana cum ſtriis in ſcapulis.* Id. Edulis hæc eſt Æthiopibus, & ipſa illa, quam *Ludolfus* pro Locuſta *Selan* agnouit.

Fig. 15. *Locuſta maxima viridis, alis latiſſimis. Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica.* Vol. II. p. 201. Tab. 236. fig. 1. 2. *Tucurubi Braſilienſibus. Marcgrav.* p. 246.

Fig. 16. *Locuſta viridis media. The middling ſort of green Locuſt. Sloane vol.* cit. p. 202. Tab. 236. fig. 3.

Fig. 17. Locuſta viridis minor. The common Green Locuſt. Sloane vol. cit. p. 202. Tab. 236. fig. 4.

Fig. 18. In gratiam ratiocinii ſupra de binis poſterioribus cruribus dati ſiſto ex *Nicolai Witſen Aeloude en hedendaegſche Scheeps Bouw* p. 16. *Triremem turritam*, quali veteres uſi fuere, binis inſtructam Gubernaculis.

Fig. 19. Numisma exhibet ab Antiocho Epiphane Syriæ Rege percuſſum Anno Seleucidarum 147. ante Chriſtianam Æram 166. ex quo conſtat, Nauium Tyriarum eandem fuiſſe conſtructionem. *Noris Epoch. Syro Maced. Diſſ.* II. p. m. 74.

Fig. 20. Idem docet alius Tyriorum Nummus percuſſus Anno Æræ Tyriorum 237. Tra-

jano

LEVITICI Cap. XI. v. 24. 25.

Ειματολεσία

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 24. 25.

Kleider-Waſchung.

G. D. Heiman sculp.

jano Auguſto VI. & T. Sextio Africano Coſs. Id. p. 394.

Fig. 21. Nummus Demetrii Regis nempe I. Soteris, Anno Æræ Tyriorum 158. ante CHRISTUM 155.

Legatur, quod nondum vidi, *Olai Rudbekii Philologema Etymologicum Biblici Nominis DEI, Schaddai, nec non Talmudici Nominis Meſſiæ, Metatron, unà cum vindiciis Auium Arbeh, Solam, Chargol & Chagab Leuit. XI. quæ, ſuppreſſo veri Authoris nomine Schediasmate quodam prodierunt per* And. Norrelium Suecum. Amſtelod. ap. Sam. Schonwald. 1720. 8. *Adjecta huic Schediasmati Oratione de iisdem Auibus, Upſaliæ pro deponendo Rectoratu Academico habita* A. 1715.

TAB. CCLVIII.

Leuit. Cap. XI. verſ. 24. 25.

Et quicunque Cadaver illorum tetigerit, immundus ſit usque ad veſperam.

Et quicunque portauerit Cadauer illorum, lauet veſtimenta ſua, eritque immundus usque ad veſperam.

Et quicunque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus usque ad veſperam:

Et ſi neceſſe fuerit, ut portet quippiam horum mortuum, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit usque ad occaſum ſolis.

COncernunt hæ Leges indiſcriminatim omnia omnium Animantium Cadauera, etiam mundorum, quæ morbo vel Lue quadam periere. conf. v. 27. 28. 39. 40. Verùm in modo tractandi & purificatione ſtatuit Legislator diſcrimen, Ratione ipſa fundatum. Aliud eſt, Cadauer duntaxat tangere, aliud, portare. Hic non Cutis ſola inficitur, ſed & veſtimenta, quibus ſeſe facillimè inſinuat, diuque inhæret, contagium quoduis, ſeu in Inſectis infinitè paruis id conſiſtat, ſeu aliis particulis venenatis. Lucem huic materiæ fœnerantur, quæ obſeruamus graſſante Lue quadam inter Pecora: quam facile Hippiatri vel Zojatri in ipſis ſuis veſtimentis transferant contagium ab uno grege ad alium, à ſtabulo ad ſtabulum, imo quàm facile transferatur contagium mediantibus ipſis pecoribus, canibus, Aquarum ductu, unde unum ex præſtantiſſimis remediis eſt ſeparatio, &, quam heic præſcriptam legimus, veſtimentorum vel lotio, vel mutatio.

TAB. CCLIX.

Leuit. Cap. XI. verſ. 26. 27. 28.

26. Omne Animal quod ſeparat Ungulam, ſed fiſſuram non ſcindit, nec ruminationem ſurſum reuocat, immunda hæc ſint vobis, quicunque tetigerit ea, immundus erit.
27. Et quidquid graditur ſuper manus ſuas, in omni Animali, quod ambulat ſuper quatuor, immunda ſint vobis talia, & quicunque tetigerit cadauer illorum, ad veſperam usque ſit immundus.
28. Et qui portauerit cadauer illorum, lauet veſtimenta ſua, eritque immundus usque ad veſperam. Immunda hæc ſint vobis.

26. Omne Animal quod habet quidem ungulam, ſed non diuidit eam, nec ruminat, immundum erit, & quicquid tetigerit illud, contaminabitur.
27. Quod ambulat ſuper manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina eorum, polluetur usque ad veſperum.
28. Et qui portauerit hujuscemodi cadauera, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit usque ad veſperam: quia omnia hæc immunda ſunt vobis.

VErſiculum 26. explicabunt, quæ diximus ad v. 4. & verſiculum 28. quæ ad v. 24. 25. verſiculo autem 27. loquitur Legislator de *multifidis*, quæ πολυχιδῆ nuncuparunt Græci, quæ incedunt ſuper *manibus*, vel *Plantis*, עַל כַּפָּיו, quò pertinent *Canes*, *Leones*, *Feles*, *Simiæ*: altera expreſſio ſimpliciter habet עַל אַרְבַּע *ſuper quatuor*, cum qua loquendi formula congruit vernacula noſtra, *auf allen vieren gehen*. Hujusmodi cadauera ne tangere quidem, absque immunditiei nota, licebat, ſed quidem juxta Talmudicos reti capere, & protrahere.

TAB. CCLX. CCLXI.

Leuit. Cap. XI. verſ. 29.

Et in reptili, quod reptat ſuper Terram, hoc vobis immundum ſit, Muſtela & Mus, Crocodilus juxta ſpeciem ſuam.

Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his, quæ mouentur in terra: Muſtela & Mus, & Crocodilus, ſingula juxta genus ſuum.

HEic obſeruandum ante omnia, τὸ שֶׁרֶץ *Scherez*, *reptile*, latiorem obtinere ſignificatum in Moſis Scriptis, quam Latinorum *Reptile*, vel Græcorum ἑρπετὸν, nempe non comprehendi duntaxat ἔντομα illa, ſeu alata, ſeu volatilia, ſeu apoda ſuper Ventrem prorepentia, ſed quoque ex Quadrupedibus illa, quorum crura ſunt breuia, quæ repere potius, quam incedere videntur: ita ut *Reptilia* Moſis diſtingui poſſint commodè in ἔναιμα, *Sanguine prædita*, ut ſunt Serpentes, Muſtelæ, Mures, & ἄναιμα, *Exanguia*, Inſecta, Reptilia κατ' ἐξοχὴν dicta.

Primum Animantium multifidorum, quæ in Textu occurrunt, eſt חֹלֶד, *Choled*, Græcis γαλῆ, *Hiero-*

LEVITICI Cap. XI. v. 26. 27. 28.
Canis, Leo, Felis, Simia.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 26. 27. 28.
Hund, Löwe, Katze, Affe.

I. G. Pinz sculps.

LEVITICI Cap. XI. v. 29.
Muſtela, Talpa, Mus, Glis.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 29.
Wieſelein, Scharmaüs, Maüs, Ratte.

I. G. Ponte sculpſ.

LEVITICI Cap. XI. v. 29.
Scincus, Testudo, Bufo, Rana.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 29.
Land-Crocodil, Schildkröte, Kröte, Frosch.

I. G. Pinz sculps.

Hieronymo Muſtela, ſic & utrique Verſioni noſtræ, *Muſtela, das Wieſelin*; Idem vult *Jonathanis* כרכושתא *Carcuſtha*, Syrorum *Cacauſtho*. Et *Keled* legas, voce Hebrææ affini, Arabicè in *Meninzki Lex.* p. 3997. Huic ſententiæ ſubſcribunt Hebræi omnes, *Baal Aruch*, R. *Selomo*, *Kimchius*, *Pomarius*, *Aquinas*; *Pagninus*, *Arias*, *Caſtalio*, *Junius*, *Tremellius*, *Galli*, *Itali*, *Angli*, *Belgæ*, *Germani*, *Lexicographi*.

Non obſtante tot pro Muſtela Teſtium Nube dubitat *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 35. Rationes dubitandi habet ſequentes. *Chuldo* Syrorum palam ex חלד formatum ſignificat *Talpam*, & ſic Turcarum *Chuld Plur. Chyldan Meninzk. Lex.* p. 1929. Arabumque *giiild* apud eundem p. 6025. vel *chold*, ut legitur in *Alcamo*, & *Giagid*, ubi deſcriptiones manifeſtè ſunt Talpæ. Porrò in *Talmude Babylonico* Tract. *Moed Katon* c. 1. f. 6. b. האישורת i. e. Talpa, vel Talpæ, in *Talmude Hieroſolymitano* redditur חולדרת *Chulda*. Talpa ſanè repere potius videtur quàm ambulare, & præterea numeroſam admodum habet propaginem, qui duo Characteres conueniunt voci שְׂרֵץ. Eſt & Talpa murini generis, unde Germanis *Schärmaus*, ſocia proin jungitur עכבר *achbar*, muri. Accedit Etymologia à verbo חָלַד *Chalad*, *penetrare*, *ſuffodere*, conſtat quippe Talpam indefinenti labore Terram ſubruere, & ſuffodere, ſtructurâ pedum inprimis anteriorum huic labori adæquata: quæ quidem originatio non minus pro Muſtela pugnat, quæ & Ædes ſuffodit, ut illa agros. Seligat quis, quod volet.

Sequitur עַכְבָּר *achbar*, *Mus* Hebræis, vel *mus agreſtis*, quas עַכְבָּר *achalbar* à Chaldæo עָכַל *achal*, *conſumere*, & בָּר *bar*, vel בָּרָא *bara ager*, tanquam agri vaſtator. De qua agrorum vaſtatione legere eſt *Ariſtot. Hiſt.* L. VI. c. 37. *Plin.* L. X. c. 65. *Horus* L. I. c. 47. In Sacris exemplum legimus 1. Sam. V. 6. ubi in Græca verſione legitur μέσον τῆς χώρας αὐτῆς ἀνεφύησαν μύες, in *Vulgata*, *Ebullierunt villæ & agri in medio Regionis illius, & nati ſunt mures*, & c. VI. 1. rurſus in Græca, καὶ ἐξέζεσεν ἡ γῆ αὐτῶν μύας, & *Terra eorum mures ebulliit*. Sanè muribus Philiſtæorum agros fuiſſe conſumptos colligere licet ex c. VI. v. 5. ubi juſſi fuerant *facere imagines murium, qui vaſtant terram*. Innumera alia Exempla hujusmodi vaſtationum ex Veteri nouaque Hiſtoria recenſere haud eſt opus.

Arabibus quoque eſt *achbar muris agreſtis* ſpecies, nempe mas *aljarbui*. *Alcamus*. *Alachabiro*, *mares Aliarabii*, quod Plurale eſt تر *aljarbuo*, cujus beſtiæ fœmina *Alatiuta* dicitur. Luſitanis hæc Animantia vocantur *ratones del mato*, i. e. *mures dumeti*, & ita deſcribuntur in *Teixeiræ Itinerar. Ind.* c. 4. *Son eſtos ratones del grandor de los grandes nueſtros communes, tienen el pelo pardo tirante al blanco. Tienen de raton las orejas, manos, y la cola: cuya punta, y los ojos, y cabeça ſon de conejo: es las piernas como de gazela. Corren mucho ſaltando hazen cueva como conejo. Y ay dellos grande quantitad per aquel deſierto. Los Arabes los comen, y dizen, que Son muy buenos.* Et *Olearius Itin. Perſ.* L. VI. p. 64. *Vidimus prope Terkin* (in Circaſſia) *muris agreſtis genus Arabicè* Jerbua *dicti. Huic Sciuri magnitudo eſt, neque forma diſſimilis: pilus tamen fuſcior, & caput Muris, Aures longæ, crura anterius breuia, poſterius longiora — Babyloniam & Arabiam bis ſcatere ajunt, & incolis eſſe pro cibo.* De hoc Animali, quod idem cum שָׁפָן vult *Bochartus*, vide plura ad Leuit. XI. 5. Hujusmodi mures, quod ex allatis jam teſtimoniis conſtat, ab Arabibus comeduntur: imò & Jeſaias LXVI. 17. eſum תר עַכְבָּר ubi Arabs habet *aljarbuo*, Judæis exprobrat. Murem domeſticum equidem Hieroſolymitani comediſſe leguntur obſidione à Romanis arctiſſimè cincti, ſed extremâ coacti neceſſitate. Nihilominus dici poteſt, Lege vetitum fuiſſe omne *murinum genus*, & ſic עַכְבָּר accipi poſſe pro Mure omni. Ita ſane intellexit *Jonathan* in ſua παραφράσει ad noſtrum Textum, ubi habet *achbar niger*, *rufus & albus*. Cauſæ Phyſicæ, cur Mus accenſeri debeat immundis Animalibus, patent cuiuis ad vitæ genus attendenti: eſt fere Animal πάμφαγον, arrodens quicquid eſt obuium, amans inter alia carnem porcinam, quæ abominationi erat Judæis, imo nec abhorret à ſtercore. An verò quod tradunt Hebræi in *Avodazera* & *Beth Jacob* f. 181. murinæ carnis eſus inducat obliuionem, nobis non conſtat. Ut non opus habeamus, confugere ad myſticas rationes, quòd ſcilicet inutile ſit & noxium Animal, typus eorum, qui dicunt:

Nos numerus ſumus, fruges conſumere nati.

Tertium, quod nominat Moſes, Animal eſt צָב *tſab*, de quo variant admodùm opiniones, & eo quidem usque, ut alii viuiparis accenſeant, ouiparis alii. Græcis Interpretibus eſt κροκόδειλος ὁ χερσαῖος, *Crocodilus terreſtris*, *Hieronymo* & Nobis in Latina *Crocodilus*: alii volunt *Teſtudinem*. *Caſtalio Teſtacea*. Alii, quos inter Nos quoque, *Rubetam*, ſeu *Bufonem*, *die Krott*. Et primus fortè, qui Bufonem voluit, eſt R. *Selomo* Judæus Gallus, qui ſcripſit צָב eſſe Animal Ranæ ſimile, nomine פרוט, pro quo legendum פרוט *Frot*, Germanicum Bufonis nomen, in Gallia tum, ut *Bochartus* ſcribit L. IV. c. 1. in uſu. Sed & *Kimchius tſab* Hiſpanicè reddit גרויישנט *Graiſſant*, quod etiam notabat *Rubetam*, ut Gallis *Graiſſet* & *Croiſſet*, Germanis *Gras Froſch*. Ubi obſeruandum, hoc ultimum nomen non ſignificare *Bufonem*, ſed *Ranam arboream*, ſeu *Ranunculum viridem*. Sanè melius ſtetiſſet *Bufonis* loco *Rana*, quia ab illa etiam Natura ipſa abhorret, hunc vero, Pedes inprimis poſteriores inter delicias multi ponunt, & vel rigidiſſimi Jejunii ipſius quadrageſimalis exactores

permittunt. Accedit, quòd Illyricè *Zaba* ſit *Rana*, Polonis *Zab*, Arabibus modernis *Zæfdæ*, *Zyfdy*, *Zufdu*, Plur. *Zæfady*, *Zæfadi*, ut videre eſt in *Meninzki Lex.* 853. 3046. 3047. Quæ allegatio, ſi quid aliud, pro noſtra Verſione, ſi Ranam haberet Bufonis loco, facit, maximè, quia etiam *Bocharto* placet, ut mox videbimus, צב quærere inter ouipara. Placeret certè mihi *Rana* præ *Teſtudine*, quam nobis oggerit *Elias* Judæus Germanus titulo שלטרוט, *Schiltfrot* pro *Schiltkrot*, quia putamina Teſtudinum tectum referre videntur cameratorum curruum, qui Hebraicè dicuntur צבים *tſabim*. Hanc quoque habent *Junius*, *Tremellius*, *Schindler*, *Angli*, *Itali*, *Geneuenſes*, & *Buxtorfius*, hærens inter *Bufonem* & *Teſtudinem*.

Bochartus l. c. genuinam vocis צב ſignificationem quærit in Arabum monimentis, ubi *dhab*, Plur. *dhibab*, vel *adhab*. fœm. *dhabba* notat Animal agreſte reptile, ſimile τῷ *guaril* ſeu *ſtellioni majori*. Ita *Damir* & *Auic.* L. II. cap. *dhab.* & in Cap. *Chardaun*, quæ vox eſt τῷ *dhab* vel *tſab* Synonyma, & à Chaldæis exprimitur *Chardona* חרדונא, à Syris *Chadrona*, à Samaritanis *adrona*. Hoc autem Animal, quantum ex Arabum deſcriptionibus colligere licet, eſt ex *Lacertarum* genere, è quarum Claſſe ſunt quoque in Verſu proximè ſequenti *Stellio*, *Chamæleon* & *Salamandra*. Animal in Arabia natum, Judæis proin haud ignotum. Sanè צב per hoc Animal explicarunt quatuor Arabes, duo Chaldæi, imo & Veteres Hebræi, quod conſtat ex Tract. *Cholm.* c. 9. f. 127. a. & ex *Bereſchith Rabba ſect.* 83. Eſt autem hoc Animal *Scincus Ægyptiacus* ſiue *terreſtris*, Talmudicis בן נפילים *ben nephilim*, *filius Gigantum* dictus, quaſi ex Crocodili ſemine in Terra natus, hinc & in Græca Verſione Κροκόδειλος ὁ χερσαῖος, & in Vulgata *Crocodilus*. Erat autem Jonibus *Crocodilus* Lacertæ genus in ſepibus & maceriis commorari ſolitum; *Herodotus* L. II. Κροκοδείλας δὲ Ἰώνες ὠνόμασαν, εἰκάζοντες αὐτῶν τὰ εἴδεα τοῖσι παρὰ σφίσι γινομένοισι Κροκοδείλοισι, τοῖσιν ἐν τῇσιν αἰμασίῃσι. Et Grammaticus ille apud *Etymologum* & *Phauorinum*. ὁ Κροκόδειλος ζωΰφιόν ἐστι μικρὸν. Diſtinxerunt & Veteres *Crocodilos* in *terreſtres* & *aquaticos*, χερσαίους καὶ ποταμίους *Ariſtot.* L. V. c. 33. Et *Scincum* deſcribit *Dioſcorides* Κροκόδειλον χερσαῖον ἰδιογενῆ, *Crocodilum terreſtrem ſui generis*. Scinci nomen apud Arabes eſt *Sykænkur*, & *Iskænkur*, Perſas *Sekenkur*, quæ *Scinco* ſunt affinia. τῷ *Zab* autem propius quadrat Arabum *Zæbb* fœm. *Zæbbet*, quæ vox *Crocodilum* notat *terreſtrem* ſcilicet marem *Lacertæ Lybicæ*. v. *Meninzk. Lex.* p. 1744. 2635. 2644. 3026. 5734. Huc referri meretur *Scincus maximus fuſcus* Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica* Vol. II. Tab. 273. fig. 9. *Mabouya ou Scinc de terre. du Tertre* p. 314. *Brochet de Terre Rochefort Isl. Antill.* p. 149. *Gallinwasp.* Anglis.

A. Muſtela. Sceleton vero Tab. CCLXIII.
B. Talpa. cum Sceleto.
C. Mus. cum Sceleto.
D. Glis.
E. Rana.

Tab. CCLXI.

F. Bufo.
G. Teſtudo.
H. Scincus.
I. Scincus fuſcus maximus.

TAB. CCLXII. CCLXIII.

Leuit. Cap. XI. verſ. 30.

Ericius, Limax, Stellio, Lacerta & Chamæleon.

Mygale, & Chamæleon, & Stellio, & Lacerta, & Talpa.

NOn minus negotii faceſſunt, quæ immundorum agmen claudunt, Animantia numero quinque, quàm quæ expoſuimus hactenus. Primum audit אנקה *anakah*, Græcis μυγάλη, *Hieronymo mus araneus*, qui juxta *Aetium Tetrab.* L. IV. ſerm. 4. c. 14. *colore quidem Muſtelæ, magnitudine autem Muri ſimilis eſt.* Inde nomen μυγάλη, à μῦς & γαλῆ. Hebraicum אנקה ita dicitur à voce acutiſſima, quæ pro gemitu & ejulatu poſſit haberi. *Onkelos* reddit יללא *jala* vel פלא *pala*, *phala*, quæ vox Arabibus *murem araneum* ſignificat. Hujus nomis ילא occurrunt in Talmudicis duo Animalia diuerſiſſima, *Sanguiſuga* & *Hericius*, quorum neutrum hic locum habet, utpote quæ aliis inſigniuntur notioribus nominibus, & reptilibus, de quibus heic, accenſeri nequeunt. Hinc tamen video Tigurinos mutuatos eſſe *Ericium*, *den Igel*.

Eſt potius אנקה *Lacertæ* genus. Id quod patet ex ſequentibus. Syrus habet *amaktha* vel *amkatha*, *Gabrieli Sionitæ Lacerta*. Arabs Erpenianus *alwarlo*, & Arabs Pariſiis editus *alwarco*, Lacertæ ſpecies *guaril* dicta. Lacertam poſcit ſeries. Præceſſit צב *tſab*, *Crocodilus*

LEVITICI Cap. XI. v. 30.
Erinac. Stellio, Viverr. Chamæl. Salamandra.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 30.
Igel, St. Eyder, Iltis, Chamäl, Salamander.

I. G. Pintz sculps.

LEVITICI Cap. XI. v. 30.
Cordylus, Lacerta, Cæcilia.

III Buch Mosis Cap. XI. v. 30.
Eyder, Blindschleich.

I.G. Pintz sculp.

lus terreſtris, & ſequuntur proximè quatuor aliæ Lacertarum ſpecies. Si Etymologiam Hebrææ vocis attendas, videbis rurſus eſſe אַנְקְרָ *Stellionis* genus, ſtridoris acerbi. Lucem fœneratur Plinius L. XXIX. c. 4. ubi de Græciæ Stellione. *Hunc Græci coloten vocant, & aſcalaboten, & galeoten. In Italia non naſcitur. Eſt autem hic plenus Lentigine, ſtridoris acerbi.* Eodem tendit originatio Arabicæ vocis *alwarlo*.

Non prætereundæ ſunt ſilentio interpretationes aliæ, licet vel ad primum obtutum rejiciendæ. I. eſt Paraphraſtarum Arabum MSS. quibus *anakah* eſt *ancabuths*, i. e. *aranea*, quæ Hebræis aliâs dicitur עַכְבִּישׁ *accabiſch*. II. R. *Mardochai* in *Hebraicis concordantiis*, qui definit hoc reptile volans, ut alii Doctores Talmudici *Locuſtam*. III. R. *Selomonis*, qui *Caſtorem* ſeu *Fibrum*, Animal amphibium, vult. IV. *Junii* & *Buxtorffii*, quibus placet *Attelabus*. V. *Ariæ*, qui eligit *Viuerram*.

Sequitur כּחַ *coach*. Hoc Animal Græci & *Hieronymus* reddunt *Chamæleontem*: duo Arabes ſic & R. *Jonas* & *Dauid*. *Chardaun* i. e. *Crocodilum terreſtrem*, R. *Selomo*, *Arias* & *Junius Lacertam*, Syrus *Chulda*, Arabes MSS. *alchuld* i. e. *Talpam*. Græcos ſequuntur è Recentioribus *Pagninus*, *Münſterus*, *Caſtalio*, *Angli*, *Itali*. *Petro Roberto* placet *Teſtudo*, *Pomario* & *Tigurinis* in Latina *Limax*, in Vernacula *der Molch*, i. e. *Salamandra*. Judæis quibusdam apud *Gesnerum Sciurus*, Geneuenſibus *Crocodilus*. Plerisque igitur & probatiſſimis Interpretibus *Lacerta*: ſi ſpeciem deſideres, oſtendet *Bochartus* L. IV. c. 3. Arabum *guaril*, robore, quod Arabica & Hebræa vox כּחַ vult, præcellens; Inſignis autem pugnâ contra Serpentem & Crocodilum terreſtrem dicitur eſſe *guaril*, ſeu *alwarlo*. Teſtimonia dant *Alkazuin*, *Algiahid*, *Damir*, Scriptores Arabes, qui verò circa Deſcriptionem variant. *Abdollatif* idem facit cum *Chardaun*; *Algiahid* diuerſum, multis diſtinctum coloribus, manus habens, quales Hominis, & digitos in articulos diviſos. Ad rem præſentem ſpectat inprimis, quod *Alcamus* habet & *Alkazuin*, carnem ejus eſſe calidiſſimam, & maximè pinguefacere, præſertim mulieres; ut taceam, ipſam carnem, pilos, ſtercus, ſanguinem, ad Medicos uſus adhiberi. Ipſe *Bochartus* ſimilem τῷ *guaril* vult eſſe *Lacertam* Italorum *viridem*, utpote quæ magna ſatis eſt & ὀφιόμαχος, imo & ὀφιονίκος, quod nomen ipſi dat *Pandectarius*. Teſtem habemus *Erasmum Dial. de Amicitia*. *Quodam die vidi prægrandem, & mirè viridem, in oſtio caui decertantem cum Serpente. Primùm mirabamur, quid eſſet rei; Nam ſerpens nobis non erat conſpicuus. Italus admonebat, in antro eſſe boſtem. Paulo poſt venit ad nos Lacerta, velut oſtendens ſua vulnera, ac remedium flagitans. — Serpens alterum latus penè totum eroſerat, & ex viridi rubrum fecerat.* Sanè Lacertam hanc viridem Phthiſicis commendant *Plinius* & *Marcellus*. *Ludolfo Hiſt. Æthiop.* L. I. c. 11. & *Comm.* p. 160. כּחַ ſiue *Waril* eſt *Lacerta cauiuerbera* ſeu *Cordylus*, *Uromaſtix* Græcis, Æthiopibus *Angueg*, quæ Lacerta viridi eſt major, caudâ rotundâ, in circulos quosdam ſquamatim diuiſa, ſquamis duriſſimis, quæ eam tanquam tegulæ domorum culmina cooperiunt. *Raj. Syn. Quadr.* 263. In occidentalibus Indiis nota eſt *Lacerta Iguana*, *Yguana* dicta, *Lacertus Indicus Senembi* & *Iguana* dictus *Rajo*. *Grand Lezart*, *du Tertre* p. 308. *Gros Lezart nommè Iguane*. *de Rochefort Isl. Antill.* p. 144. *Gyouanna*, *a Snake ſeuen foot long*. *Col.* 56. de quo Lacerto id heic memorandum, pinguem eſſe, & in deliciis, Aſtacis ſapore ſimilem. Aliam ſpeciem edulem exhibebimus infra in Iconibus. De cibi autem hujus noxa, & vi Luis Venereæ productrice dabitur loquendi occaſio, ubi de Lepra.

Varias quoque admittit ſignificationes לְטָאָה *letaa*, quod deriuant nonnulli à Græco λώτη, *Talpa*, vel etiam referre volunt ad λάταξ, Animal amphibium, Caſtori & Lutræ congener apud *Ariſtot. Hiſt.* L. VIII. c. 5. Aliis placet *mus araneus*, in quam Λητὼ, *Latona* mutata fingitur, apud *Antonium Liberalem Metam.* 28. Sed præſtat cum Veteribus *Letaa* reducere ad *Lacertas*. Græcis namque eſt καλαβώτης vel ἀσκαλαβώτης, *Hieronymo* & *Tigurinis Stellio*, *Jonathani* שממיתא *Semamitha*, quod idem ſonat: Syro *Tſeruritha*, i. e. *Salamandra*, Arabibus *aladha*, *aladhaja*, *Lacertus*. Sic & *Solomoni*, *Kimchio*, *Pomario*, *Tigurinis*, qui in vernacula generale nomen habemus *Heidex*. Sed ſpeciem definire difficile. Poſt Syrum habent *Salamandram Pagninus*, *Arias*, *Junius*, *Caſtalio*: *Stellionem* vel *Lacertam Münſterus*, *Schindlerus*, *Geneuenſes*, *Angli*, *Itali*, *Tigurini*. Placet *Bocharto* L. IV. c. 4. Lacerta Arabibus *Wachra*, vel *Wachara* dicta, quæ dicitur coloris eſſe rubri, Stellioni ſimilis, Terræ adhærere, & veneno cibos inficere, quos calcat. In *Meninzki Lex.* p. 5345. inuenio *wæhæret*, *wæbret* Arab. Animal Lacertæ vel Stellioni ſimile colore rubrum, ut modo dictum. Plura hactenus non conſtant.

חוֹמֶט *Chomet* Hebræis recentioribus, *Selomoni*, *Kimchio*, *Pomario*, *Aquinati* eſt *Limax*. Idem volunt Hiſpani, qui in *Kimchio* reddunt כַּרְכּוֹ, potius כַּרְכּוֹל *Caracol*, item *Arias*, *Münſterus*, *Petrus Robertus*, *Geneuenſes* & *Angli*. Sed Græcis & *Hieronymo*, quos ſequimur Tigurini in Latina, eſt σαῦρα, *Lacerta*, Arabibus editis *Chirba*, *Chamæleon*, MSS. *Sammabras*, *Stellio*. Idem vult Syrorum *Chaulmata*, quod malè vertit *Bapt. Ferrarius* per Auem dorſum habentem nigris & purpureis pennis diſtinctum. Quærenda eſt autem, ſi vocis originem reſpicias, Lacerta in arena degens, nam חומטן *Chometon* Talmudicis eſt *arena*, & hinc fortè Græci ſumſere ſuum ἄμαθον vel ψάμαθον. Talis autem La-

certa eſt, *Bocharto* judice L. IV. c. 5. Arabum *Chulca, lucha, luchacea, chulaca*, cœrulei coloris, quam memorant *Alcamus, Damir* & Arabes alii. Eſt & ἀμμώδης *aladha*, Animal juxta *Alazhari* ſimile τῷ *ſammabras*, ſtellioni, ſed pulchrius. Nos in Latina generale nomen ſeruamus *Lacertæ*, in Vernacula longè diuerſum, *den Blindſchleich, Ceciliam*, quam unde ſumſerimus, mihi non conſtat. Eſt hæc Lacerta, ſi verum fateri volumus, una ex ignotiſſimis.

Agmen claudit תִּנְשֶׁמֶת *Thinſchemeth*, quod *Græcis, Hieronymo, Onkeloſo, Selomoni, Kimchio, Pomario, Aquinati, Pagnino, Münſtero, Ariæ, Geneuenſibus, Anglis, Tigurinis* in Vernacula eſt *Talpa*, quam ſupra habuimus ſub titulo *Choled.* Samaritanus Interpres vult *Muſtelam*, quæ Chaldæis eſt כרכושתא *Carcuſtha.* Syrus vertit *jodaida, multipedam.* Arabes MSS. *albedal*, pro quo legendum *nedal*, vel *nedel* Animal 44. pedum, *julus* ſiue *Scolopendra.* Hanc explicationem Chaldæi & Talmudiſtæ. *Jonathani* Thinſemeth eſt סלמנדרא *Salamandra*, Arabi Herpeniano *Senabras* pro *Sammabras. Bocharto* L. IV. c. 6. vocabula hæc, & ipſum *Thinſemeth*, notant *Chamæleontem.* Occaſio, quæ huic præ aliis Animalibus prærogatiuam dedit, eſt originatio vocis תִּנְשֶׁמֶת à נְשָׁם *ſpirare.* Chamæleon quippe vitam ſpirando trahere creditur. *Plin.* L. VIII. c. 33. *Ipſe celſus, bianti ſemper ore, ſolus Animalium nec cibo, nec potu alitur, nec alio quàm Aeris alimento.* Et *Ouid. Metam.* L. XV.

Id quoque quod Ventis animal nutritur & aurâ. Quam Fabulam egregiè diſcuſſit *Vallisnerius* in ſuo eruditiſſimo *de Chamæleonte* Tractatu. Sed & fuere ante eum, qui in hoc Animali Linguam obſeruarunt prolongam, in imo glutinoſam, cujus jaculatu Muſcas & culices captet è ramo Arboris cui inſidet. Habet & pro Thinſemeth *Chamæleontem* Latina noſtra Tigurinorum Verſio.

Icones illuſtrando huic Textui inſeruientes ſunt

A. Hericius, Erinaceus.
B. Stellio.
C. Viuerra.
D. Chamæleon.
E. Salamandra.
F. Lacerta caudiuerbera.

Tab. CCLXIII.

G. Lacerta viridis: Liguro Bononienſibus cum Sceleto.
H. Cecilia.
I. Lacerta Iguana dicta: ex Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica* Vol. II. Tab. 271. fig. 1.
K. Yguana Luzonenſis edulis, capite cœruleſcente, *Cagaſagam* & *Layagan* dicta ex Petiuer Gazoph. T. XL. fig. 1.

TAB. CCLXIV.

Leuit. Cap. XI. verſ. 31-40.

31. Hæc immunda ſint vobis in omni reptili, quicunque tetigerit ea mortua, immundus erit usque ad veſperam.

32. Et ſuper quodcunque ceciderit cadauer eorum, immundum erit, ſiue fuerit vas ligneum, ſiue veſtis, ſiue pellis, ſiue ſaccus, ſiue quodcunque vas, in quo fit aliquod opus, per Aquam traducatur, ſitque immundum usque ad veſperam, & tum mundabitur.

33. Omne quoque vas fictile, in quod aliquid ex his inciderit, immundum erit, quicquid intra ipſum fuerit, vasque ipſum confringetis.

34. Sed & omnis cibus, qui comedi ſolet, ſuper quem venerit Aqua

31. Omnia hæc immunda ſunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad veſperam.

32. Et ſuper quod ceciderit quicquam de morticinis eorum, polluetur, tam vas ligneum & veſtimentum, quàm pelles & cilicia; & in quocunque fit opus, tingentur Aqua, & polluta erunt usque ad veſperum, & ſic poſtea mundabuntur.

33. Vas autem fictile, in quod horum quicquam intrò ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum eſt.

34. Omnis cibus quem comederis, ſi fuſa fuerit ſuper eum aqua; immun-

LEVITICI Cap. XI. v. 31-40.
Immundi ex Cadaveribus.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 31-40.
Unreine von Berührung des Aases.

I. G. Pinz sculp.

(hujusmodi) immundus erit, & omnis potus, qui bibi ſolet, in quocunque fuerit vaſe, immundus erit.

35. Et omne, ſuper quod ceciderit cadauer illorum, immundum erit, furnus & ollæ diruantur, quia immunda ſunt, eruntque vobis immunda.

36. At Fons, puteus, & Aquarum collectio, munda erit, & qui cadauer illorum tetigerit, immundus erit.

37. Quod ſi cadauer illorum ceciderit ſuper quodcunque ſemen, quod ſeminatur, aut ſeminari poſſit, mundum erit.

38. Si Aqua fuſa fuerit ſuper ſemen, & ceciderit ſuper illud cadauer illorum, immundum erit vobis.

39. Si fuerit mortuum aliquod Jumentum, quod à vobis edi poteſt, & aliquis tetigerit cadauer ejus, is immundus erit usque ad veſperam.

40. Qui comederit de morticino ejus, lauabit veſtimenta ſua, & erit immundus usque ad veſperam. Sic qui portauerit cadauer ejus, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit usque ad veſperam.

immundus erit; & omne liquens quod bibitur de uniuerſo vaſe, immundum erit.

35. Et quicquid de morticinis hujuscemodi ceciderit ſuper illud, immundum erit: ſiue clibani, ſiue chytropodes, deſtruentur, & immundi erunt.

36. Fontes verò & ciſternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit; qui morticinum eorum tetigerit, polluetur.

37. Si ceciderit ſuper ſementem, non polluet eam.

38. Si autem quispiam aqua ſementem perfuderit, & poſtea morticinis tacta fuerit, illico polluetur.

39. Si mortuum fuerit Animal, quod licet vobis comedere, qui cadauer ejus tetigerit, immundus erit usque ad veſperum.

40. Et qui comederit ex eo quippiam, ſiue portauerit, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit usque ad veſperum.

VIdimus jam ſupra, non duntaxat immunda eſſe & reddere, quæ aſſumuntur intus, ſed &, quæ tanguntur, Cadauera. Docet nos moderna inprimis & Corpuſcularis Philoſophia, reſolui putreſcentia corpora, exhalare, quamdiu durat hæc διάκρισις, particulas mobiliores, volatiles, ſalinas, ſulphureas, imo auolare, relictis fixioribus, ſiccioribus, terreſtribus. Hinc fœtor, qui ſpargitur in certa à corpore putreſcente diſtantia: hinc non mirum, infici à cadaueroſis hiſce, ſæpeque Arſenicalibus & venenatis μιάσμασι obuia quæuis, *vaſa, veſtes, pelles, ſaccos, cibos.* Hinc debebat *vas fictile, in quod* cadauer *incidit, confringi* v. 33. Putauerim, Legislatorem loqui inprimis de vaſis terreis non incruſtatis, *ſo nit geglæſtet ſind,* quia poros habent patentiores, quos immundæ particulæ facile ſubintrent, & ubi diu deliteſcere poſſint, nulla fere arte eluendæ. Nam, quod & in moralibus valet, *quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu.* Vitreata cruſta, quia poros habet arctiſſimos, poſſunt à Figulis incruſtata vaſa elui facile, & immunda quæuis à ſuperficie polita abſtergi. Et naſcitur mihi hac ipſa occaſione dubium, num Iſraelitis in uſu fuerint uſta duntaxat absque incruſtatura vaſa, an vitreatâ incruſtaturâ obductâ? Locum habet poſterius, ſi Icunculæ illæ Iſidis, politiſſimâ cruſtâ obductæ, & juxta Mumias reperiri ſolitæ, ad Iſraelitarum ævum adſcendant.

Intelligunt *Talmudiſtæ* Gloſſatores ſuo ſenſu conferendi cum Interpretibus illis *Scholaſticis* canonicâ auctoritate fulgentibus, ſed parum ſæpe lucis, quia Rationis parum, obſcuris Scripturæ Locis afferentibus, per מַיִם *maim pluuialem Aquam*, prætendentes, ab illapsâ inprimis Aquâ pluuiali cibos fuiſſe infectos. Quæ opinio confirmari etiam inde poſſet, quod in ipſa pluuiali Aqua, ſi per aliquot dies ſteterit, generentur vermiculi. Sed quoque poteſt

per מים intelligi Ichor ille, in quem putreſcentia corpora ſolent reſolui. Dubium tamen non eſt, quin Aqua quæuis, potus quiuis, quem hujusmodi vaſa exceperint, ex rationibus modò allegatis contraxerint immunditiem.

Fontes, Putei, & Aquarum collectiones ſunt mundæ, juxta v. 36. Intelligi hoc inprimis debet de Aquis fluentibus, ſordes ſecum auehentibus. De ſtagnantibus, quales ſunt putei propriè ita dicti, Ciſternæ, ſtagna, vix credi poteſt, haud infici ab illapſo Cadauere. Sed forſan heic diſpenſatione opus fuit. Sunt Fontes viui, ſalientes, fluentes, in Orientalibus illis Regionibus, Arabia in ſpecie, non ita, ut in Europæ montoſis Regionibus frequentes, ut Aquâ carere potius debuiſſent Iſraelitæ, quàm munditiem circa eam in ſummo rigore obſeruare. Et obſeruandum præterea, ſecerni facilè & ab Aquearum particularum conſortio ſeſe extricare, propter figuræ incongruitatem, & diuerſam ſpecificam grauitatem, particulas ſulphureas, limoſas, impuras alias, vel præcipitari ad fundum, vel parietibus adhæreſcere, Aquam proinde ſeſe depurare ipſam; & tandem de ſtagnis ſciendum, inſeruire hæc potius loturæ, vel aquationi pecudum, quàm potui.

Par fere ratio eſt *Seminis*. v. 37. 38. Haud conueniebat, propter affluentem impuram quampiam Aquam, vel illapſum ſatis Cadauer, ea radicitus extirpare, & agros lætè virentes Frumentis nudare, ſicque Colonos meſſe priuare. Imo verò obſeruandum heic, quod Experientia docet, Vegetabilia tum hortenſia, tum campeſtria, à putidiſſima quauis Aqua lætiſſimè creſcere, & impinguari, ſuccum quoque nutritium non ſolùm per Terræ poros colari, ac depurari, ſed ejus duntaxat puriſſimas & defœcatiſſimas partes oſcula Radicum arctiſſima ſubingredi. Et animaduertendum inſuper v. 37. explicandum eſſe de Semine jam Terræ concredito, ſed v. 38. de Semine nondum ſato, de quo pronuntiat Legislator, *immundum* eſſe, ſi *Aqua fuſa fuerit ſuper illud, & ceciderit ſuper illud Cadauer. (Si autem quiſpiam aqua ſementem perfuderit, & poſtea morticinis tacta fuerit, illico polluetur).* Senſum verſiculi 38. ita & clarè exponit *Clericus* comm. in h. l. *Cum vero ſemini (nondum conſito) affuſus fuerit humor, qui ex eorum cadauere defluxerit, hoc immundum à vobis habebitur.* Et in παραφράσει. *Aqua tamen Ciſternæ, aut ſi ſemen nondum in Terram conjectum putreſcente eorum cadauere adtaminatum fuerit, immundum cenſetur.*

Morticina ſunt v. 40. Cadauera eorum Animantium, quorum eſus aliâs eſt licitus, nempe ex Genere Bouino, ouillo, caprillo, ceruino, demortuorum vel morbo aliquo, vel caſu etiam violento: licet hunc inter & illum ingens ſit diſcrimen; & Animantium ex lapſu, vel vulnere demortuorum, cæterà quoad interna viſcera ſanorum, eſus aliquando concedi poſſet. Et ſane videtur manum huic diſtinctioni dare ipſa Lex, quæ v. 40. non majorem immunditiei gradum tribuit ei, *qui de morticino comedit*, & ei, *qui cadauer portauerit*; utrique ſimpliciter injungitur, *ut lauet veſtimenta ſua, & immundus ſit usque ad veſperam.*

TAB. CCLXV.

Leuit. Cap. XI. verſ. 41. 42.

41. Denique omne Reptile, quod reptat ſuper Terram, abominandum ſit vobis, nec comedatur.
42. Quicquid incedit ſuper pectus, & quidquid ambulat ſuper quatuor, aut quod plures habet pedes in omni Reptili, quod reptat ſuper Terram, ea non comedetis, quoniam abominanda ſunt.

41. Omne quod reptat ſuper Terram, abominabile erit, nec aſſumetur in cibum.
42. Quicquid ſuper pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, ſiue per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile eſt.

OMne *reptile, quod reptat ſuper Terram*, ſunt *Inſecta. Quidquid incedit ſuper pectus, ſerpentes: ſuper quatuor ambulant Lacertæ: plures habent pedes*, ſcilicet quàm quatuor, *Scolopendræ*, & hujusmodi alia *Inſecta*. Eſſe *Serpentes* etiam in Orientalibus Regionibus edules, eſſe fuiſſeque ὀφιοφάγες, abundè conſtat. Quid obſtat, quo minus fuerint olim σαυροφάγοι καὶ ἐντομόφαγοι? De Inſectis *Xylophagis* teſtimonium extat apud *Hieronymum* L. II. in *Jouinianum*. *In Ponto & Phrygia vermes albos & obeſos, qui nigello*

LEVITICI Cap. XI. v. 40. 41.
Insecta, reptilia immunda.

III. Buch Mosis Cap. XI. v. 40. 41.
Unreine Und dieser ü. kriechende Thiere.

I.G. Pinz sculp.

LEVITICI Cap. XII. v. 2-5.
Puerperarum immundities.

III. Buch Mosis Cap. XII. v. 2-5.
Unreinigkeit der Kindbetterin.

P.G. Harder sculp.

nigello capite ſunt, & naſcuntur in lignorum carie, pro magnis reditibus Paterfamilias exigit. Et quomodo apud nos Attagen & Ficedula, Mullus & Scarus in deliciis computantur, ita apud illos ξυλόφαγον comediſſe luxuria eſt. Vermem hunc deſcribit *Ariſt. Hiſt. Anim.* L. V. c. 32.

TAB. CCLXVI.

Leuit. Cap. XII. verſ. 2 - 5.

2. Loquere ad filios Iſrael, & dic: Mulier ſi ſuſcepto ſemine marem pepererit, ſeptem diebus immunda erit, juxta dies ſeparationis menſtruorum ſuorum erit immunda.
3. Octauo die circumcidetur caro præputii (pueri)
4 Deinde maneat triginta tribus diebus in Sanguine Purificationis ſuæ, nihil ſanctum tangat, in Sanctuarium non ingrediatur, donec fuerint exacti dies purgationis ſuæ.
5. Si verò fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ſeparationem ſuam, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine Purificationis ſuæ.

2. Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos: Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus juxta dies ſeparationis menſtruæ.
3. Et die octauo circuncidetur infantulus.
4. Ipſa vero triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in ſanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ.
5. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.

INfinita infinitæ ſapientiæ Bonitas ut undique ex operibus DEI prolucet, ita & ex diſtinctione Sexus, & utriusque conſtitutione, ſpeciatim nunc ex iis, quæ contingunt ſequiori. Ad pariendum deſtinata mulier, ſed ut viuam parere poſſet prolem & maturam, debebat eandem ſeruare per nouem Menſium decurſum in propria matrice, imo carcere tenebricoſiſſimo, in quo ne reſpirare quidem licet, eò nempe usque, dum juſtam attingeret magnitudinem, & vires inæquali Aeris preſſioni aliisue anomaliis reſiſtere aptas, cibosque ore poſthac aſſumendos poſſet digerere. Hunc in finem, & ut Fœtus per omne illud ſpatium tenerrimo Matris ipſius Sanguine nutriri poſſet, absque hujus detrimento, plus Laticis ſanguinei fœminæ contulit Creator reſpectu molis corporeæ, quàm quidem Mari, & tantundem præcisè, quantum habebat opus. Sed ne extra Grauiditatis tempus incommoda pateretur futura fortè Mater ex Plethora, & à Sanguine nimio vaſa ultra modum dolorificè diſtenderentur, contigit illi in beneficium menſtrua Laticis purpurei euacuatio, qua exceſſus tolli, & per Uteri vel Vaginæ vias foras amandari poſſet, atque Fluidorum maſſa ad Æquilibrium reduci cum Solidorum compage. Poſtquam verò grauida facta eſt Mulier, impendi debet ipſa illa portio Sanguinis excedens ad prolis nutrimentum, quo fit, ut ſupprimantur Menſes. Edito in lucem Infante non occluduntur ſtatim ſanguiferorum vaſculorum oſcula, ſed fluunt per 8. vel plures dies Lochia, tamdiu nempe, donec ſeſe contraxerint Uteri fibræ, ſanguisque denuò intra repagula ſua fuerit clauſus, quo tempore id, quod ſuperfluum eſt, ſapientiſſima Creatoris Lege Mammas petit, in Lac tranſiturum, nouum & adæquatum Fœtui jam edito nutrimentum.

Quæ mutuo petii ex Medicorum & Phyſicorum Schola, inſeruiunt explicando Textui. Erat *mulier* quamdiu fluebant menſes & Lochia, *immunda*, *nihil ſanctum* audebat *tangere*, in *Sanctuarium non ingredi*. Heic obſeruandum rurſus, non immundum eſſe Sanguinem, quamdiu fluit per & intra vaſa ſua, ſiue in circulo ſuo pergit, utpote qui non peccat qualitate, ſed quantitate, Bonitatis, ut ita loquar, exceſſu. De ſana nempe & vegeta Muliere hîc eſt ſermo, non de ægra, non de ſanguine acri, ſcorbutico, ſalſo vel muriatico, venereo, cujus la-

tex utique, Medicè loquendo, etiam Qualitate peccat, quæ tamen heic non venit in cenſum. Aſt ſtatim immundus redditur Sanguis, atque ſtagnat, extravaſatur, quia putreſcit, propter διακρισιν ſuarum partium, quibus conſtat: & facile exoriri poteſt Fermentatio in cibis, aliisue objectis, quæ tractat menſtruata, aut Lochia patiens fœmina; id quod præſertim locum habet in Regionibus illis Orientalibus, quibus Sanguis quilibet vaſis ſuis excluſus facilius longè, motu Aeris calorifico adjuuante, ſolui, & ad putredinem diſponi poteſt, quam quidem in Climatibus frigidioribus. Conſtat autem, in veteri illa Oeconomia non ſolùm cultum internum debuiſſe eſſe purum, ſed quoque externum, tanquam illius Typum, imo ſollicitè præcaueri omne id, quod eum vel minimâ immunditie inficere poterat.

In ſenſu Metaphyſico, quod hactenus haud ſemel innui, omnia ſunt munda, ipſe ſanguis extrauaſatus, imo in pus conuerſus, ſed relatiuè ad Hominem, ad Sanitatem Hominis, alia ſunt munda, immunda alia. Hinc fortè eſt, quòd & Gentiles, ex ſolo Naturæ inſtinctu, in cultu ſpeciatim ſacro munditiem habuerint pro Regula. De *Ægyptiis* lege *Marsham collect. ad Sec. IX. Rer. Ægypt. Spencer* L. I. c. 1. *de Leg. Rit.* Etiam *Græcis*, ut propius propoſito noſtro accedamus, fuere *Puerperæ* pro tempore immundæ, quam Legem mutuati fortè ſunt à Phœniciis & Ægyptiis. Hac de re extat teſtimonium in *Euripidis Iphigenia in Tauris.* v. 380.

Τὰ τῆς θεᾶ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,
Ἥτις, βροτῶν μὲν ἤν τις ἄψηται φόνε,
Ἢ κῳ λοχείας, ἢ νεκρᾶ θίγῃ χεροῖν,
Βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγημένη.

Deæ verò damno vaframenta,
Quæ, ſi quis quidem mortalium patrarit cædem,
Aut etiam Puerperam aut cadauer adtigerit manu,
Eum arcet ab ara, habens quaſi impurum.

De *Pythagora* conſtat, eum ſæpiſſimè Ægyptizare in ſuis Dogmatibus: ſed & ipſe partem ἁγνείας dicit, καθαρεύειν ἀπὸ κηδος καὶ λέχες, purificare ſe ex contactu Cadauerum & puerperarum. *Theophraſtus* in charactere ſuperſtitioſi inter alia hæc habet, ἔτε ἐπιβῆναι μνήματι, ἔτε ἐπὶ νεκρὸν ἐλθεῖν, ἔτε ἐπὶ λέχει, non conſcendere, vel ingredi, Sepulchrum, non appropinquare mortuo, vel puerperæ. Ex *Chryſippo* diſcas, Rationi haud eſſe conforme Præceptum, quo à Templo arcentur, qui à mortuo veniunt vel Puerpera, τὸ προελθεῖν ἀπὸ λέχες, ἢ θανάτε πρὸς ἱερὸν, ἀλόγως διαβέβληται. Haud ſemel ſubiit mentem meam, annon hujusmodi apud plures & diuerſas Nationes obſeruandæ Leges, ſeu conſuetudinariæ, ſeu poſitiuæ, eſſent ipſius Naturæ, ab ipſo Authore Naturæ Hominibus impreſſæ, vel in ipſarum Puerperarum commodum, aut menſtruatarum beneficium, utpote quæ in hoc ſuo ſtatu quiete indigent, & abſtractione à negotiis? Docet ſanè nos Experientia, proficuam eſſe & his & illis vitam abſtractam, noxias valde viſitationes, frequentationes, conuerſationes.

Notabile eſt in Lege diſcrimen inter *Puerperam*, quæ *Marem* & quæ *Fœminam peperit:* illa *ſeptem diebus immunda* declaratur, debebatque *manere triginta tribus diebus in ſanguine Purificationis ſuæ:* hæc *immunda fuit duabus hebdomadibus juxta ſeparationem ſuam, & ſexaginta ſex diebus manſit in ſanguine Purificationis ſuæ.* Torquent ſe heic Interpretes. Phyſicas prætendunt cauſas *Valleſius*, *Grotius*, alii, & poſt *Ariſtotelis* atque *Hippocratis* authoritatem ad rationes prouocant. *Mares*, verba ſunt *Valleſii*, *Philoſ ſacr.* p. 123. *citius figuram recipere, & mouendi vim, quam fœminas, & eas, quæ mares conceperunt, breuiores habere expurgationes.* — *Nam cum mulieres humidiores & excrementoſiores ſint, quàm viri, & earum principia, quàm ex quibus viri fiunt, conſtat ab iis etiam mulieribus concipi, quæ aut natura ſint, aut tunc fortè contigerit eſſe excrementoſiores. Indigebunt igitur tales expurgatione diuturniore.* Vacillant admodum hæc Ratiocinia, tardiorem eſſe fœmineæ prolis & figurationem & motum, quam maſculinæ: licet conſtet, frigidioris eſſe fœminas naturæ & humidioris, &, ſi ita velis, excrementoſioris, matrem id reſpicit unicè: quærenda eſt relatio Matris ad prolem. Imò verò inuerti poſſet argumentum: Si omnis fœmineus ſexus frigidior eſt & humidior, &, quod poſſis addere, Sanguinis plus habet quàm maſculinus, transibit ex hoc frigidiori, humidiori, Sanguine Matris plus ad Fœtum ſequioris ſexus, quàm ad maſculum, & proinde mora puerperii deberet eſſe longior poſt maris quàm fœminæ partum. Neque ſufficit dicere, plerunque fœminei partus moram eſſe longiorem. Docet nos Experientia, quòd indiſcriminatim hæc ſeſe habeant, & difficultas partus à variis dependeat cauſis, quarum conſideratio hujus loci non eſt. Neque id conſtans, diutius fluere Lochia poſt Partum fœmellæ, quàm Maris. Euenit aliquando contrarium. Starem ego, usque dum aliæ fortiores detectæ fuerint cauſæ, libentius ex partibus *Reyheri Math. Mos.* p. 324. & *Valentini Henr. Vogleri Sacra Phyſ. & Medic. ad Leu.* XII. qui ad ceremoniale potius attendi volunt, quàm ad Phyſicum, & *conduplicatum illud tempus partim ad Matrem, partim ad puellam recens editam pertinere.* Octauo die circumciſus infans maſculus Sanguinis proprii profuſione ſuſtinuit purgationis partem: Aſt pro fœmello partu luere debebat Mater duplo ſeparationis tempore. Finiebatur Purgatio intra binas hebdomadas, ſed durauit ſeparatio 66. dies. Satisfecit maſcula proles Legi ſimul & ſemel circumciſione: ſed adulta

Puella

LEVITICI Cap. XII. v. 6-8.
Puerperæ sacrificium.

III. Buch Mosis Cap. XII. v. 6-8.
Opfer der Sechswochnerin.

H. Sperling sculp.

Puella ſingulis menſibus ſuſtinet & Purgationem & ſeparationem.

Sunt, qui myſticâ delectantur & Theologiâ & Philoſophia, & heic ex ſeptenario, bisque ſeptenario prolicere tentant Myſteria. Septem primorum dierum decurſu dicunt probari Hominis vitam; ſeptimi Menſis partum, vel *Hippocrate* teſte, eſſe vitalem, octauo exiſtente fatali: ſeptimum diem ſignum eſſe bonæ conceptionis, ex *Ariſt. Hiſt. Anim.* L. VII. c. ult. per ſeptenarios progredi Febres, & terminari: per ſeptem quosuis annos ætatem Hominis mutari: ſeptem diebus creatum Mundum, & ſeptimum diem inſtitutum pro Sabbatho. Et quæ hujus generis ſunt alia, quæ Numerorum myſticorum procis linquo. In horum claſſem referendus Diuus *Auguſtinus*, qui legatur in *octoginta tribus Quæſtionib. Qu.* 27. & 81. de numeris quaternario & quadragenario, in ſcirpo quærens nodum.

TAB. CCLXVII.

Leuit. Cap. XII. verſ. 6. 8.

6. Quumque exacti fuerint dies purgationis ſuæ, pro filio vel filia, adducet Agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbinum, aut Turturem pro hoſtia peccati, ad oſtium Tentorii conſtitutionis, & ad Sacerdotem.

8. Si verò facultas adferendi Agni ei defuerit, accipiat duos Turtures, aut duos pullos columbinos, unum pro Holocauſto, & alterum pro hoſtia peccati, & expiabit pro ea Sacerdos, & munda erit.

6. Cumque expleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro filio, ſiue pro filia, deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, ſiue turturem, pro peccato ad oſtium tabernaculi teſtimonii, & tradet ſacerdoti.

8. Quod ſi non inuenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato. Orabitque pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur.

SEcutus Interpres noſter *Hieronymum*, qui habet, *cum impleti fuerint dies*, & Græcos, ὅταν ἀναπληρωθῶσιν. Senſus nimirum, oblationes fuiſſe à puerperis factas poſt tempus à Legislatore definitum poſt 40. dies à partu Maris, & 80. à partu fœminæ. Hinc *Maimonides* Lib. *de iis, qui non egent ſacrificio expiatorio.* c. 1. *Puerpera non offert oblationem ſuam die quadrageſimo pro mare, aut octogeſimo pro fœmina, niſi poſtquam ei occubuit Sol* (ultimæ diei, id eſt, poſt diem planè completum) *offert igitur oblationem ſuam poſtridie, id eſt, quadrageſima prima pro mare, & octogeſima prima pro fœmina.* De ipſis Animalibus in hoſtias oblatis vide alibi, ſpeciatim de Turturibus & Columbis ad Leu. I. 14.

TAB. CCLXVIII.

Leuit. Cap. XIII. verſ. 2 - 28.

2. Si fuerit in cute carnis alicujus Hominis Tumor, ſeu ſcabies ſerpens fuerit, ſeu candicans macula, ut fit in cute carnis ejus macula Lepræ, ducetur ad Aharonem Sacerdotem, vel ad aliquem ex filiis ejus Sacerdotibus.

2. Homo, in cujus cute & carne ortus fuerit diuerſus color, ſiue puſtula, aut quaſi lucens quippiam, id eſt plaga lepræ, adducetur ad Aaron ſacerdotem vel ad unum quemlibet filiorum ejus.

3. Tum inſpiciet Sacerdos maculam in Cute Carnis, ſi pilus in ipſa macula verſus eſt in candorem, & aſpectus maculæ ſubſidet, profundior ſcilicet quàm ſit cutis carnis ejus, macula hæc Lepra erit, & inſpiciet eum Sacerdos, & immundum eum pronuntiabit.

3. Qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipſamque ſpeciem lepræ humiliorem cute & carne reliqua, plaga lepræ eſt, & ad arbitrium ejus ſeparabitur.

4. Si verò candicans macula fuerit in Cute Carnis ejus, & aſpectus ejus non fuerit profundior ipſa cute, nec pilus ejus verſus fuerit in candorem, occludet Sacerdos maculam ſeptem diebus.

4. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris priſtini, recludet eum ſacerdos ſeptem diebus.

5. Tum inſpiciet eum Sacerdos ſeptimo die, & ſi macula ſteterit ſpecie ſua, nec creuit macula in cute, occludet eum Sacerdos ſecundò ſeptem diebus.

5. Et conſiderabit die ſeptimo: & ſiquidem lepra ultra non creuerit, nec transierit in cute priores terminos, rurſum recludet eum ſeptem diebus aliis.

6. Et tum inſpiciet eum Sacerdos ſeptimo die rurſus, & ſi obſcurior fuerit macula, nec creuit macula in cute, mundum pronuntiabit eum Sacerdos, ſcabies eſt ſerpens, lauabit igitur veſtimenta ſua, & mundus erit.

6. Et die ſeptimo contemplabitur: ſi obſcurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia ſcabies eſt; lauabitque homo veſtimenta ſua, & mundus erit.

7. Quòd ſi ſcabies hæc ſerpens omnino creuerit in cute, poſtquam à Sacerdote inſpectus eſt, & mundus judicatus, debet denuò inſpici à Sacerdote.

7. Quodſi, poſtquam à Sacerdote viſus eſt, & redditus munditiæ, iterum lepra creuerit: adducetur ad eum.

8. Videns igitur Sacerdos, quod ſcabies illa ſerpens creuerit in cute, immundum pronuntiabit illum Sacerdos, quoniam Lepra eſt.

8. Et immunditiæ condemnabitur.

9. Quum

LEVITICI Cap. XIII. v. 8-28.
Lepra.

III. Buch Mosis Cap. XIII. v. 8-28.
Aussatz.

I.A. Friderich sculp.

9. Quum macula Lepræ fuerit in Homine, adducatur ad Sacerdotem.
10. Sacerdosque ipſe inſpiciat, & ſi tuberculum candidum fuerit in cute, mutaueritque pilum in candorem, viuacitas quoque carnis recentis fuerit in tuberculo illo.
11. Lepra erit inueterata in cute carnis ejus, immundumque pronuntiabit eum Sacerdos, & non includet eum, ſiquidem immundus eſt.
12. Si verò omnino floruerit Lepra in cute, & operuerit Lepra ipſa uniuerſam Cutem maculæ à capite ejus usque ad pedes ejus, quicquid cadit ſub obtutum oculorum Sacerdotis.
13. Inſpiciet eum Sacerdos, & en ſi operuerit Lepra ipſa totam carnem ejus, mundam judicabit hanc Maculam, eò quod tota verſa ſit in candorem, eritque ille mundus.
14. In die verò illa, quando viſa fuerit in eo viua caro, immundus erit.
15. Inſpicietque Sacerdos carnem illam viuam, & immundum eum pronuntiabit, caro enim illa viua immunda eſt, Lepra eſt.
16. Aut ſi reuerſa fuerit caro viua, & mutata eſt in candorem, veniet ille ad Sacerdotem.
17. Et inſpiciet eum Sacerdos, & ſi macula verſa fuerit in candorem, mundam pronuntiabit Sacerdos maculam illam, mundus enim eſt.
18. Et caro, in cujus cute fuerit ulcus, illudque fuerit ſanatum.
19. Si enatus fuerit in loco illius ulceris tumor albicans, aut macula candicans, ſubrufa tamen, inſpicietur à Sacerdote.
20. Et quum inſpexerit Sacerdos, fueritque aſpectus ejus profundior ipſa Cute, & pilus ejus mutatus

9. Plaga Lepræ ſi fuerit in homine, adducetur ad Sacerdotem.
10. Et videbit eum; cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutauerit aſpectum, ipſa quoque caro viua apparuerit.
11. Lepra vetuſtiſſima indicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum ſacerdos, & non recludet, quia perſpicuæ immunditiæ eſt.
12. Sin autem efflоruerit diſcurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite usque ad pedes, quicquid ſub aſpectum oculorum cadit.
13. Conſiderabit eum ſacerdos, & teneri lepra mundiſſima judicabit: eò quòd omnis in candorem verſa ſit, & idcirco homo mundus erit.
14. Quando verò caro viuens in eo apparuerit:
15. Tunc ſacerdotis judicio polluetur, & inter immundos reputabitur; caro enim viua, ſi lepra aſpergitur, immunda eſt.
16. Quod ſi rurſum verſa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit.
17. Conſiderabit eum ſacerdos, & mundum eſſe decernet.
18. Caro autem & cutis in qua hulcus natum eſt, & ſanatum.
19. Et in loco hulceris cicatrix alba apparuerit, ſiue ſubrufa, adducetur homo ad ſacerdotem.
20. Qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos verſos in candorem, con-

fuerit in albedinem, immundum pronuntiabit eum Sacerdos, macula Lepræ eſt ex ulcere germinans.

21. Et ſi eam inſpexerit Sacerdos, nec fuerit in ea pilus albicans, nec ea fuerit humilior ipſa Cute, ipſa tamen obſcura eſt, includet eum Sacerdos ſeptem diebus.

22. Et ſi omnino dilatata fuerit in ipſa Cute, immundum pronuntiabit eum Sacerdos, macula eſt.

23. Si verò in ſeſe ſteterit macula illa, & non fuerit dilatata, cicatrix eſt ulceris, & mundum pronuntiabit eum Sacerdos.

24. Quodſi caro aliqua fuerit, in cujus cute fuerit aduſtio Ignis, & viuum illud aduſtionis habuerit maculam candicantem, ſubrufam aut albam.

25. Inſpiciet eam Sacerdos, & ſi verſus fuerit pilus in alborem in candicante illa macula, & aſpectus ejus fuerit profundior ipſa Cute, Lepra eſt in ipſa aduſtione efflorescens, & ideò immundum illum pronuntiabit Sacerdos, macula enim eſt Lepræ.

26. Si autem, quum inſpexerit eam Sacerdos, non fuerit in macula illa pilus ſubalbicans, neque ea fuerit profundior cætera cute, ſed fuerit ſubobſcurior, includet eum Sacerdos ſeptem diebus.

27. Inſpicietque eum Sacerdos die ſeptimo, & ſi omnino dilatata fuerit in ipſa Cute, immundum pronuntiabit eum Sacerdos, eſt enim macula Lepræ.

28. Et ſi in ſeſe ſteterit macula illa candicans, nec dilatata fuerit in Cute, ſed fuerit ſubobſcura, tumor eſt aduſtionis, & Sacerdos pronuntiabit eum mundum, eſt enim cicatrix aduſtionis.

taminabit eum: plaga enim lepræ orta eſt in hulcere.

21. Quod ſi pilus coloris eſt priſtini, & cicatrix ſubobſcura, & vicina carne non eſt humilior, recludet eum ſeptem diebus.

22. Et ſi quidem creuerit, adjudicabit eum lepræ:

23. Sin autem ſteterit in loco ſuo, hulceris eſt cicatrix, & homo mundus erit.

24. Caro autem & cutis, quam ignis exuſſerit, & ſanata albam ſiue rufam habuerit cicatricem.

25. Conſiderabit eam Sacerdos, & ecce verſa eſt in alborem, & locus ejus reliqua cute eſt humilior: contaminabit eum, quia plaga Lepræ in cicatrice orta eſt.

26. Quod ſi pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipſa lepræ ſpecies fuerit ſubobſcura, recludet eum ſeptem diebus.

27. Et die ſeptimo contemplabitur: ſi creuerit in cute Lepra, contaminabit eum.

28. Sin autem in loco ſuo candor ſteterit non ſatis clarus, plaga combuſtionis eſt, & idcirco mundabitur, quia cicatrix eſt combuſturæ.

CApite XI. expoſuit Legislator Populo ſuo diſcrimen inter *Animalia munda* & *immunda*, imo, quod vidimus, Diætam præſcripſit, qua ſani viuere, & mundi ſimul, poſſent. In hoc Capite diſtinguitur *Homo* ipſe *mundus* ab *immundo*, Homo ab Homine, imò â ſeipſo, mutatus ab illo. Ubi attendendum ante omnia ad Examen rigoroſiſſimum, quod inſtitui debebat, ad cujus normam ſi obſeruaremus Noui Fœderis ſubditi ulcera fœda, pilos albos, maculas, cruſtas Mentis noſtræ corruptæ, Affectuum noſtrorum deprauatorum, ſi nos ipſos ſepararemus à corruptione Seculi, imo Balſamo Verbi Divini curaremus, major haud dubiè foret verorum Pietiſtarum numerus, id eſt, Chriſtianorum in cognitione & Timore DEI, in ſanctitate & charitate ambulantium, quàm reuera eſt. Eſt materia, quam nunc tractandam ſuſcipio, difficultatum & tricarum plena, quæ mirè hactenus torſit Interpretes. Deſiderabat DEUS in Veteri Oeconomia, ut præſcripſerat cultum mundiſſimum, etiam Populum mundum, quemadmodum in Noua vult ἐκκλησίαν μὴ ἔχουσαν σπίλον, ἢ ῥυτίδα, ἤτι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος. Eph. V. 27.

Nullum eſt dubium, quin Judæi inprimis Sacerdotes in diagnoſi Affectuum, de quibus nunc ſermo, fuerint exercitatiſſimi, quia ex mandato DEI inſpectio ipſis fuit injuncta, & legale Judicium commiſſum. Et fortè ex Hebræorum Scriptis optima præſtolamur ſubſidia. Sanè *Maimonides*, unus ex Hebræorum doctiſſimis, integrum de *Lepra* ſcripſit tractatum. Numerant Recutiti Doctores *Lepræ* ſpecies ad 30. usque, ſed hoc nomine intellexiſſe videntur generatim Morbos quosuis cutaneos, ſaltem impuriores, quorum omnium origo arceſſenda eſt ex materia ſalſa, acri, ad glandulas colatorii uniuerſalis, Cutim intelligo, amandata, per ramulos Arteriolarum extremos laterales ſecreta, ſub cuticula ſquamoſâ collecta, in Tubercula, veſiculas, cruſtas eleuata, nunc hoc nunc illo colore conſpicua. Hujusdem ſententiæ fuere quoque *Lutherus Gloſſ. marg. ad Leuit. Cunæus*, *Valleſius*. Aliis *Lepræ Judaicæ* nomine intelligentibus *Elephantiaſis* ſingularem ſpeciem θεῖλατον à Deo immediatè ut illatam, ita & ſanatam, *Bezâ*, *à Rejes.* &c.

Nec loci eſt, nec temporis, enarrare omnes ſeu Lepræ, ſeu cutaneorum morborum ſpecies, ſed animus, continere me intra Textus limites. Primus Morborum, qui heic memorantur, eſt v. 2. שְׂאֵת *ſeeth* LXX. οὐλὴ, *Cicatrix*. Vulgatæ *diuerſus color*, *Onkeloſo* עסקא *hameka*, quæ vox cauitatem notat. Noſtrates vertunt per *Tumorem*, *Geſchwulſt*. *Clerico* placet *macula*. Haud ita diſſentiunt hi omnes, quin conciliari facile poſſint. Non eſt Affectus ex cutaneis, non Tumor, qui non certo colore ſe prodat, certâ maculâ ſe diſtinguat, imo, ſi erodens ſit materia, cauitatem habeat, Tumores inprimis illi, qui in cruſtas leproſas abeunt.

Secundus Morbus vocatur סַפַּחַת *ſaphahbath*, LXX. οὐλὴ σημασίας τηλαυγὴς, *notæ ſplendens*, *Hieronymo Puſtula* aut *lucens quidpiam*: noſtra Latina habet *Scabies ſerpens*, Vernacula, *ein Geſchwär*, *Clericus*, *Impetigo*. Talmudiſtæ pro diagnoſtico ſigno agnoſcunt album, Gypſo, Calci, vel etiam membranæ interiori, quæ ſub oui cortice latet, ſimilem colorem. Qualem præ ſe ferunt *puſtulæ ſcabioſæ*, in Cuticula eleuatæ, pure cocto per ipſam hanc Cuticulam transparente refertæ. Tertius Morbus eſt בֶּהָרֶת *bahereth*, nobis *candicans macula*, *eine weiſſe Blater*, melius forſan *ein weiſſer Flecke*. Forſitan tres hi Morbi, vel ejusdem forſan Morbi variantes ſtatus, ita diſtingui poſſunt, ut שְׂאֵת ſit puſtula ſupra cutim reliquam eleuata, colore rubicunda, *ſaphahbath* סַפַּחַת eadem puſtula pure cocto plena, בֶּהָרֶת denique macula alba absque eleuatione tumoris, *Alphus*, *Vitiligo*, Arabibus *Morphea*: vel etiam poſſunt, ſi in eodem Morbo manere lubet, intelligi cruſtæ illæ ſeu ſcabioſæ, ſeu Leproſæ, ſeu etiam varioloſæ, quæ puſtulas maturas, apertas, vel ſponte exiccatas ſequuntur.

Morbum ſuſpicioni obnoxium ubi viſitationi ſubjecit Sacerdos, atque animaduertit, *pilum in ipſa macula verſum eſſe in candorem*, & *aſpectum maculæ ſubſidere profundiorem ſcilicet*, *quàm fuit cutis carnis ejus*, judicauit adeſſe צָרַעַת *tſaraath*, *Lepram*. Eſt hic, quem Moſes deſcribit cum ſuis ſignis diagnoſticis, Græcorum λεύκη, *Leuce*, & majorem indicat humorum ſalſorum acrimoniam, qua non ſolùm eleuatur Cuticula, ſed & ipſæ Glandulæ cutaneæ eroduntur unà cum ipſis vaſculis Cutis: hinc fit *Cutis carnis profundior*, hinc *pili* quoque *albi*, quia ſuo priuantur eroſæ ſæpe ad baſin, vel cruſta veluti gypſea conſtrictæ, alimento: hujus certè defectum in cauſa eſſe conſtat ex ipſa Senum canitie, deriuanda ex coarctatis cutaneis tubulis Cutis aliàs in illa ætate corrugari ſolitæ. In eadem mecum cogitata incidit *Joh. Clericus*, hujusue frater *Daniel* Med. & Senator Geneuenſis, *Diſs. de Lepra*, ubi Morbum, de quo nunc, vocat *Vitiliginem* ſeu *Leucen*. Quem ita, & graphicè deſcribit Latinus Hippocrates *Celſius* L. V. c. 28. *Vitiligo quamuis per ſe nullum periculum adfert*, *tamen* & *fœda eſt*, & *ex malo corporis habitu fit*. *Ejus tres ſpecies ſunt*: Ἄλφος *vocatur*, *ubi color albus eſt*, *fere ſubaſper*, & *non continuus*, *ut quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur*, *interdum etiam latius*, & *cum quibusdam intermiſſionibus*, *ſerpit*. Μέλας *colore ab hoc differt*, *quia niger eſt*, & *umbræ ſimilis*, *cætera eadem ſunt*. Λεύκη *habet quiddam ſimile Alpho*, *ſed magis albida eſt*, & *altius deſcendit*, *in eaque albi pili ſunt*, & *lanugini ſimiles*. *Omnia hæc ſerpunt*, *ſed in aliis celerius*, *in aliis tardius*. *Alphos* & *Melas in quibusdam variis temporibus oriuntur* & *deſinunt*. *Leuce*

quem occupauit non facile dimittit. Superuacaneum foret, vel exſcribere, vel allegare, quæ alii ex Veteribus Medicis, & Celſianis conſentanea, habent, nempe *Actuarius*, *Aetius*, *Oribaſius*, *Paulus*, *Galenus*, *Auicenna*.

Si candicans macula (v. 4.) *fuerit in Cute carnis ejus, & aſpectus ejus non fuerit profundior ipſa Cute, nec pilus ejus verſus fuerit in candorem, occludi debebat à Sacerdote macula ſeptem diebus. (Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris priſtini, recludet eum ſacerdos ſeptem diebus.)* Hucusque erat *Alphus*, & cutis eroſio haud fuit profunda, pilorum radices illæſæ. Hujusmodi ægro ſi elapſis bis ſeptem diebus *obſcurior fuerit macula, nec creuerit macula in cute, mundus* pronuntiabatur à ſacerdote. *Scabies* namque erat *ſerpens*, v. 5. 6. מִסְפַּחַת *mispachath*, quod vocabulum Latina noſtra reddit, *ſcabies ſerpens*, *Aquila* ἐξανάδοσιν, *puſtulam*, *Theodotion* ἔκβρασμα, *Scabiem*, vernacula noſtra *Grind*, commodius reddidiſſet *eine ſchebichte Ausſchlechte oder Raud*, verti etiam potuiſſet *Herpes*, *Heerbrand*. *Tinea*, *der Grind*, propriè ita dicta eſt Capitis Affectus, non minus, quàm ipſa Leuce, immundus, eademque cum hac ferens ſigna.

De hoc Morbo, *Lepra*, ſciendum, à Moſe non deſcribi ut nouum aliquod malum, Iſraelitis in pœnam datum, ſed jam cognitum, in Oriente haud rarum, imo nec Septentrionali Europæ ignotum. Manebo, *Cerici*, quem nunc κατὰ πόδα ſequor, veſtigia premens, in Oriente. Sub finem *Prorrheticon Hippocratis* L. II. legas hæc verba. Γίνονται δὲ Λεύκαι μὲν ἐκ τῶν βανατωδεςάτων νοσημάτων, ὅιον καὶ ἡ νῆσος, ἡ Φθινικὴ καλεομένη, αἳ δὲ λέπραι καὶ οἱ Λειχῆνες ἐκ τῶν μελαγχολικῶν. Ubi vetuſtiſſimi Hippocratis Interpretes legunt Φοινικὴ pro Φθινικὴ: ita *Galenus*, Φοινικὶη νόσος ἡ κατὰ Φοινίκην, καὶ κατὰ τὰ ἄλλα ἀνατολικὰ μέρη πλεονάζεσα, δηλᾶσθαι δὲ κἂν ταῦτα δοκεῖ ἡ ἐλεφαντίασις. Ita proin vertendus noſter Senex. *Oriuntur quidem Leuce ex periculoſiſſimis* (grauiſſimis) *Morbis, qualis eſt Phœnicius dictus, Lepra verò & Lichenes ex melancholicis humoribus.* Ante tria quatuorue Secula Morbus, de quo nunc, à *Guidone Cauliaco* & aliis nuncupabatur *Tyria Lepra*. Haud rarò nempe contingit, ut Morbi denominentur à Regionibus, ubi vel ſunt primigenii, vel endemii. Exemplo ſint *Lues Gallica*, ſeu *Morbus Neapolitanus*, *Plica Polonica*, *Sudor Anglicus*, *Noſtalgia* Heluetiorum, *la maladie des Suiſſes*. In *Ægypto* popularis eſt *Lepra*, imo *Ægypti peculiare hoc malum*. Plin. L. XXVI. c. 1. Idem teſtatur *Galenus Meth. med. ad Glauconem*. L. II. c. 12. ubi circa Alexandriam familiarem dicit Elephantiaſin, propter vitæ genus, & Climatis ardorem, rariorem contra in Germania & Mœſia, & apud Galactophagos Scythas. Locus ipſe dignus eſt, qui heic inferatur. Κατὰ γὲν τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐλεφαντιῶσι πάμπολλοι, διὰ δὲ τὴν δίαιταν, καὶ τὴν θερμότητα τᾶ χωρίᾳ. Κατὰ δὲ τὰς Γερμανίας τε καὶ Μυσίας σπανιώτατα τᾶτο πάθος ὤπται γινόμενον. Καὶ παράγε τοῖς γαλακτοπόταις Σκύθαις σχεδὸν ἀδέποτε φαίνεται γινόμενον. Ἀλλ' ἐν Ἀλεξανδρείᾳ παμπόλλη ἡ γένεσις αὐτᾶ διὰ τὴν δίαιταν ἐςιν. Ἀθάραν γὰρ ἐσθίεσι, καὶ Φακὴν, καὶ κοχλίας, καὶ ταρίχη πολλά. Τινὲς δὲ καὶ ὄνεια κρέα καὶ ἄλλα τοιαῦτα παχὺν καὶ μελαγχολικὸν γεννῶντα χυμὸν. Ubi proin Lepra proponitur non duntaxat tanquam Ægypto familiaris, ſed & cauſæ indicantur etiam Palæſtinæ applicabiles. Climatis æſtus, quo ſalia maſſæ ſanguineæ exaltantur, fluido lymphatico per copioſam Tranſpirationem auolante acriora reddita, acutim facile erodunt, diæta porrò, eſus Leguminum, Lentium, Teſtaceorum, muriaticorum, caro aſinina, alia, quæ craſſum gignunt, falſum & melancholicum humorem. Imo forte Diætetica illa Leu. XI. à Moſe tradita eò collimat ſpeciatim, ut ejus uſu Iſraelitæ à fœdis Lepræ eique cognatis morbis præcauerentur. In ſpecie quadrare huc poteſt Præceptum, quod carnem Porcinam, Serpentum & Lacertarum omne genus prohibet. Notum ſanè, vel ex *Liſtero Exercit. Med. de Lue Vener.* & *Diſs. de Humorib.* in Inſulis Americanis populariter graſſari Luem Veneream, ab eſu Iguanarum: neque hanc ipſam Luem ex Catalogo morborum immundorum, & in ipſam Lepram declinantium eradendam exiſtimo, quâ ex aliarum Gentium commixtione facile Judæi infici poterant. Et ipſam hanc Luem continuatione, eroſione tranſire poſſe in Lepram, Medicorum Annales referunt. Caſum notabilem recenſet *Dan. Fiſcher.* Med. Liptauienſis Hungarus in Cl. *Kanoldi Breſſlau. Sammlung.* VIII. *Verſuch* p. 733.

De *Ægypto* legimus apud *Lucretium* L. VI.

Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam.

Hinc fortè nata *Appionis* illa fabuloſa de Judæis calumnia, ac ſi ex Ægypto fuerint propter Lepram pulſi, quam ſolidè diſcuſſam vide apud *Joſephum* L. I. & II. *contra App. Juſtinum* L. XXXVI. c. 2.

Non ſolis Judæis, ſed & Gentibus aliis *Lepra* fuit abominationi, haud dubiè, quia non ſolùm viſu fœda, infecto moleſta, ſed quoque contagioſa. *Herodotus* L. I. c. 12. Ὅς ἂν δὲ τῶν ἀςῶν λέπρην ἢ λεύκην ἔχοι, ἐς πόλιν ἅτως ἀ κατέρχεται, οὐδὲ συμμίσγεται τοῖς ἄλλοισι Πέρσοισι. Φασὶ δέ μιν ἐς τὸν ἥλιον ἁμαρτόντα τι ταῦτ' ἔχειν. Ξεῖνον δὲ πάντα τὸν λαμβανόμενον ὑπὸ τετέων πολλοὶ ἐξελαύνεσι ἐκ τῆς χώρας, καὶ τὰς λευκὰς περισεράς τὴν αὐτὴν αἰτίην ἐπιφέροντες. *Si quis ciuium Lepra vel Leuce eſt affectus, ei aditus ad urbem haud conceditur, neque ut aliis ſe immiſceat Perſis. Perhibentur autem, qui tale quid habent, peccaſſe contra Solem. Peregrinos verò Leproſos multi finibus ſuis expellunt, & vel propterea ne Columbas quidem albas ſufferunt.* De

Deliis,

Deliis, qui κατὰ μῆνιν Ἀπόλλωνος, *irâ Apollinis*, omnes fuerint facti Leproſi, legere licet plura in *Epiſtola Æſchinis*. Non tamen delicatulus fuiſſe videtur *Artaxerxes*, qui propriam ſuam filiam, utut Leproſam, *Atoſſa* dictam, matrimonio ſibi junxit, ut videre eſt apud *Theophraſtum* in charactere Δυσχερείας. Leproſos fuiſſe inter Judæos usque ad tempora CHRISTI conſtat ex Matth. VIII. 2. X. 8. XI. 5. Inter Chriſtianos, ut caueatur σύμμιξις atque contagium, extructa ſunt ubique locorum, ſiue fundata piorum ſubſidiis, *Leproſoria*.

V. 9. & ſeqq. proponit Legislator Signum *Lepræ* completæ Pathognomonicum: in hoc Morbi ſupremo gradu materia acris peccans non ſolùm extimam Cutis ſuperficiem lædit, infixosque cuti pilos albos reddit, ſed profundius rodit, vaſcula omnia cutis furori ſuo obuia erodit, circulum ſanguinis peruertit, qui extrauaſatus in Pus abit, imo ipſæ fibræ ſiue tubulorum laciniæ luxuriantes unà cum pure concretæ in cruſtas ſeſe eleuant. Qui hunc attigit Morbi ſtatum, non amplius includebatur carceri docimaſtico, ſed declarabatur immundus, imò tanquam incurabilis è Societate Hominum, ut adhuc fieri ſolet, excludebatur.

Videntur, & multis ſunt, v. 12. & ſeqq. παράδοξοι. Pro immundo declaratur, qui hinc inde duntaxat Leprâ eſt affectus, uti efflorescere ſpeciatim ſolet in Genubus, Olecrano, Articulis aliis, Facie; mundus autem habebatur, qui totus nîl niſi erat Lepra, totâ cute fœdâ hac Scabie obductus: Vel, quî, quæſo, in myſtico ſenſu pro mundo declarari poterit, in quo *à Planta pedis ad Verticem usque nihil eſt integrum, omnia, vulnus, tumor, purulentaque plaga*. Jeſ. I. 6. *(A planta pedis usque ad verticem non eſt in eo ſanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens:)* Torſit hæc materia mirè Interpretes, ut euadendi haud videant viam. *Clericus Diſs. de Lepra* ſicco pede eam tranſit, & in *Comm.* fatetur, ſe ſibi ſatis non poſſe facere. *Mirum eſt, partim Leproſum pollutum cenſeri, toto verò corpore tetro illo morbo infectum haberi mundum. Fateor me nullam ejusmodi diſcriminis rationem comminiſci poſſe, non magis ac ſi Moſes dixiſſet, eum eſſe immundum, qui una ſpecie immunditiei laboret, mundum, qui omnibus. Crediderim itaque, aliud voluiſſe Legislatorem: nimirum, ſi cujus corpus totum canderet, ſignum hoc fuiſſe non Lepræ, quæ omnia peruaſiſſet, ſed melioris valetudinis, ideoque ejusmodi hominem mundum judicandum fuiſſe: contra verò ſi color toto corpore non conſtaret, ſed caro aliis in locis rubicundior eſſet, aliis verò præter modum canderet, indicium hoc haberi debuiſſe candoris à Lepra orti.*

Tentare licebit & mihi vadum, licet nemini promittam dubii ſolutionem plenariam. Si quando graui quodam ſuperato Morbo, Febre inprimis acutâ, in tota Cute conſpiciatur efflorescentia, ſeu ſcabioſa, ſeu Leproſa, indicio id nobis eſt, omnem materiam peccantem, acrem, ſalſam, foras eſſe amandatam, maſſam Sanguinis depuratam, & hujusmodi ægrum vel ſponte, cadentibus cruſtis, vel Balnei cujusuis dulcis uſu reſtitutum iri. *Criſin* hanc dicimus *perfectam*, qua ſæpe tota Corporis cuticula abſcedit, pili omnes excidunt, totus Homo alius fit ab illo, qui fuerat ante: *imperfectam* autem, ſi hinc inde duntaxat conſpiciantur vel maculæ, vel puſtulæ, vel cruſtæ, manentibus intra corpus humoris peccantis reliquiis, imo per poros paſſim tranſpirantibus, ac proximum quemque inficientibus. Erat hujusmodi Lepra munda non tam in Cutis vaſculoſa textura, quàm inter Cuticulam & Cutim: hæc non eroſa in cruſtas & carnem putridam excreſcentem eleuata, ſed integra, per quam Sanguis liberè circulare poſſet. Sed nec diffitendum, eſſe hujusmodi caſus, ubi tota Cutis candet, ex rariſſimè contingentibus, & multis λεπριάτροις ne ſemel quidem per Vitam viſos. Accedit, quod hujusmodi Hominibus pauciſſima ſit tranſpiratio, periculum proin contagii tantò minus. In myſtico ſenſu is declaratur pro mundo, qui ſe ipſum fatetur totum leproſum, immundum. Non malè Judæi Lepram comparant Flumini, quod in latum ſeſe effundens campum profunditatis habet parum, multum verò, ſi arcto claudatur alueo: ſic Lepram eſſe tantò corroſiuam magis, ſi uno aliquo, vel paucis efflorescat locis, minus, ſi ſeſe æqualiter diffundat per totum Corpus. Ita fere ratiocinatur *Lutherus Gloſs.* ad Leu. XIII. *Es iſt ein geſunder Leib, der ſich ſelbſt alſo reiniget, als mit Pocken, Maſern und Krätze geſchihet, da durch den gantzen Leib das böſe heraus ſchlägt, wie wir Teütſche ſagen, es ſeye geſund*, &c.

V. 18. & ſeqq. Subintelligenda veniunt omnia *Ulcera* & *Apoſtemata*, ſeu *phlegmonoſa* ea ſint, ſeu *eryſipelatoſa*, ſeu *gangrænoſa*, ſeu *cancroſa*, ſeu *phagedœnica*. *Apoſtematum* variantes ſpecies, *Therioma*, *Paronychia*, *Parotis*, *Carbunculus*, *Exulceratio radicis Unguium*, *Aphthæ*, *Variolæ*, *Bubones venerei & Peſtilentiales*. Subjiciebantur omnes hi Morbi viſitationi Sacerdotum, ut declarari poſſet æger mundus vel immundus, *mundus, ſi non fuerit pilus albicans, & in ſeſe ſteterit macula, nec fuerit dilatata*: immundus, *ſi aſpectus fuerit profundior ipſa Cute, & pilus mutatus in albedinem*. In priori nempe Caſu diſponebant ſe omnia ad curam, repletâ ſenſim à fibris recens ſuccreſcentibus cauitate, ſecretâ & excretâ vitioſa omni materia: in poſteriori nouus ſemper aderat materiæ vitioſæ ex Sanguine affluxus, vel ipſe Sanguis oſculis eroſis exudans continuò abibat in pus, manente *fiſtula* ſemper aperta.

Legitur v. 19. *ſi enatus fuerit in loco illius ulceris tumor albicans, aut macula candicans, ſubrufa tamen* בַּהֶרֶת לְבָנָה אַדְמְדֶמֶת. Torquet ultima vox אַדְמְדֶמֶת Interpretes. In Textu originali ſignificant tria hæc vocabula *ſplendorem album impensè rufum*, vel *ſummopere rufum*.

Videtur heic adeſſe παράδοξον τι, hinc eſt, quod LXX. verterint τηλαυγὴς λευκαίνουσα ἢ πυρρίζουσα, & *Hieronymus* habeat *cicatricem albam ſiue ſubruſſam*, quod *ſiue* mutarunt noſtri in *tamen*, *jedoch*. *Bochartus* & *Clericus* ſoluunt nodum ex genuino vocis אָדָם *adam* ſignificatu, dicuntque eam non verti debere per *rutilare*, ſed per *ſplendere*, quod prædicatum albo non minus quàm rufo colori commune applicant albo Lepræ, volentes, intelligendum eſſe heic colorem album fulgentem ſiue ſplendentem fœdi hujus morbi. Mixtus ex albo & rufo color placet *Jonathani* in *Paraphraſi*, *Maimonidi de Lepra*, R. *Selomoni*, *Kimchio*. Quod ſi Textus noſter ſpectat ad omnis generis ſeu Ulcera, ſeu Apoſtemata, ſupra recenſita, conciliari facile poterunt partes diſſidentes. Soluit nodum *Furunculus* quiuis, qui initio eſt ex inflammata Cuti & eleuata in Tumorem rufus ſeu rutilans, imo fulgens ac ſplendens, propter læuorem, ſanguine ſeu ſtagnante, ſeu jam extrauaſato, plenus, mox verò, ſi maturus, albus fulgens, pure refertus: imo idem in apice albus, ad latera ſiue radicem rufus. Poterit proin placida ἐπιείκεια Textus manere in eo, quo eſt ſtatu, & Interpres quiuis vel jungere colores iſtos, vel cum LXX. & *Hieronymo* mediante vocula ἢ, *ſiue*, disjungere.

V. 24. & ſeqq. pergit Moſes ad *Ambuſtionem*, aliud Morborum cutaneorum genus, quo vel Cuticula, vel Cutis ei ſubjecta ab Igne flammante, Aqua ardente, Oleo, aliaue materia feruida ita læditur, corroditur & corrugatur, ut Sanguinis circulus impediatur, tubuli extremi contrahantur, imo & à ſpiculis Ignis confodiantur, fluida paſſim extrauaſata in puſtulas eleuentur. Triſte hujusmodi Ambuſtionis conſectarium eſt *Gangræna* & *Sphacelus*, ubi Sanguis vel penè vel prorſus circulare deſinit, & pars illa vita privatur, enſe reſecanda, ne aliæ ſinceræ in periculi conſortium trahantur. Signa tum munditiei, tum immunditiei eadem ſunt cum ſupra expoſitis, ut αἰτιολογίαν repetere ſit ſuperuacaneum. Incluſionis equidem mentionem facit Legislator, non curæ, quæ haud dubiè durante incluſione ſuſcipi debebat. Medela ſanè, ſi ullibi neceſſaria eſt, in Ambuſtione ſuſcipi debet, ne ex remediorum neglectu malum pejus reddatur.

Illuſtrandæ huic toti de Lepra & congeneribus affectibus materiæ inſeruiunt Icones Microſcopiales, quas heic adjungo.

Fig. I. Pilos exhibet candidæ pelluciditatis de ſurgentes ex a b c. materia cryſtallinæ pelluciditatis & niueæ albedinis rupium figurâ.

Fig. II. Pilos exhibet itidem candidos pellucidos, ſed ut ordinariè ſunt, aſperos & veluti ſpinoſos, atque in extremitatibus fractos.

Videantur

Joh. Clericus, *Diſs. de Lepra Moſaica* Libris Hiſtoricis V. T. ſubjuncta.

Jenkinus Thomaſius, *Diſs. de Lepra Græcorum & Judæorum*. Baſ. 1708. 4.

Maimonides de Lepra.

TAB. CCLXIX.

Leuit. Cap. XIII. verſ. 29. ad 37.

29. Vir ſiue Mulier ſi habuerit maculam in capite vel barba.
30. Inſpiciet Sacerdos maculam illam, & ſi aſpectus ejus profundior fuerit ipſa Cute, fueritque in ea (a) pilus ſubfuluus, judicabit illum ſacerdos immundum, eſt enim Pſora fœda, & Lepra Capitis aut Barbæ.

(a) Pilus aureus tenuis.

31. Si verò Sacerdos inſpexerit maculam ipſius Pſoræ, & aſpectus ejus non fuerit profundior reliqua Cute, nec fuerit in ea pilus niger, includet Sacerdos (eum qui habet) maculam Pſoræ ſeptem diebus.

29. Vir ſiue mulier, in cujus capite vel barba germinauerit lepra.
30. Videbit eos Sacerdos, & ſi quidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flauus, ſolitoque ſubtilior: contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ eſt.

31. Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum: recludet eos ſeptem diebus.

32. Septi-

LEVITICI Cap. XIII. v. 29-37.
Psora, Tinea.

III. Buch Moſis Cap. XIII. v. 29-37.
Grind.

G.D. Heüman. sculps.

32. Septimo die inſpiciat Sacerdos maculam, ſi non creuerit Pſora, nec fuerit in ea pilus fuluus, & aſpectus Pſoræ illius non fuerit profundior ipſa Cute.

32. Et die ſeptimo intuebitur: ſi non creuerit macula, & capillus ſui coloris eſt, & locus plagæ carni reliquæ æqualis.

33. Faciet ſe tonderi, ita tamen, ut Pſora non tondeatur, & includat Sacerdos, (eum qui habet) Pſoram ſeptem diebus, idque ſecundo.

33. Radetur homo absque loco maculæ, & includetur ſeptem diebus aliis.

34. Et ſeptimo die inſpiciat Sacerdos Pſoram illam: ſi Pſora ipſa non creuerit in carne, neque aſpectus ejus fuerit profundior cute, mundum pronuntiabit eum Sacerdos, lauabitque veſtimenta ſua, & erit mundus.

34. Si die ſeptimo viſa fuerit ſtetiſſe plaga in loco ſuo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotisque veſtibus ſuis mundus erit.

35. Quodſi Pſora in ipſa Cute creuerit poſt ejus emundationem.

35. Sin autem poſt emundationem rurſus creuerit macula in cute.

36. Inſpiciat Sacerdos, & ſi macula ipſa in Cute creuit, non inquirat Sacerdos de fuluo pilo, immundus eſt.

36. Non quæret amplius, utrum capillus in flauum colorem ſit commutatus, quia apertè immundus eſt.

37. Si autem Pſora in ſpecie ſua perſtiterit, & pilus niger in ea pullulauerit, ſanata eſt Pſora, & ille mundus erit, mundumque pronuntiabit eum Sacerdos.

37. Porrò ſi ſteterit macula, & capilli nigri fuerint, nouerit hominem ſanatum eſſe, & confidenter eum pronunciet mundum.

SUb præſentem conſiderationem venit *Scabies Capitis humida* & *ſicca*, quæ ſi mali eſt moris, *Tinea*, nobis der *Grind*, *Erbgrind*, appellatur. Quoad cauſas & ſigna morboſæ hujus excreſcentiæ nil ſuperaddi debet iis, quæ jam ſupra expoſuimus. Lepræ indicium erant præter profundam eroſionem *pili* fului ſeu *ſubfuluui*, ac *tenues*, ξανθίζουσα, Sanitatis verò, & decernendæ munditiei, *nigri*, ſimul ac malum non profundius ſerpſit. De quo colore *nigro* notandum, familiarem fuiſſe Judæorum pilis, & eſſe ſuſſeni probique nutrimenti indicium, utpote quo cauitas pilorum expletur, ita ut radii liberè introeant & transeant. Verſio noſtra vernacula Græcum ξανθίζουσα tradidit v. 31. *falb*, clarior futura, ſi dediſſet per *ſchwarz*, quo ipſo prædicato utitur ipſa noſtra vernacula v. 37. & Latina in utroque allegatorum verſuum vocabulo *niger*. Leproſæ effloreſcentiæ ſignum fuit in prægreſſis morbis color *albus*, heic *fuluus*. Non prætereunda eſt heic αἰτιολογία. Sunt *Pili* tum capitis, *capilli*, tum Barbæ, craſſiores aliis, & expleti magis, hinc & longiores. Notum ex Motus Legibus, per Carotides internas ad Cerebrum pro fluidi neruei generatione mitti ſanguinem ſubtiliorem, per externas ad partes Capitis externas craſſiorem, partibus multis unctuoſis, oleoſis, ſebaceis fœtum, quæ ipſis Cruſtis conciliant colorem illum fuluum, ſic & pilis.

In mandatis dat ſuſpecto Sacerdos, ut *tondeatur, ita tamen, ut Pſora non tondeatur*, id eſt, tondeatur raſorio cultro usque ad puſtularum vel cruſtarum confinia, relictis in ipſa cruſta pilis, ut exacto ſeptiduo judicare poſſet inſpector de coloris & morbi ipſius mutatione.

TAB. CCLXX.

Leuit. Cap. XIII. verſ. 38 - 44.

38. Vir ſiue mulier ſi in cute carnis eorum maculæ fuerint, maculæ inquam candicantes.

39. Inſpiciat Sacerdos, & ſi in cute carnis eorum fuerint maculæ albicantes ſubobſcuræ, Lentigo eſt in Cute germinans, mundus eſt.

40. Si è capite alicujus Pili fuerint euulſi, caluus is & mundus eſt.

41. Si defluxerint Pili à fronte capitis ſui, recaluaſter eſt & mundus.

42. Si verò in recaluaſtri loco, aut occipite caluo macula fuerit alba ſubrufa, (a) lepra germinans eſt in caluitie ejus anteriori, ſeu caluitie poſteriori ejus.

(a) Ebræi per album & rufum purpureum ac permixtum colorem ſignificant, qui ex albo & rufo fit, quidam dicunt, luteus.

43. Inſpiciet autem eum Sacerdos, & ſi tumor maculæ albus ſubrufus fuerit in caluitie ejus anteriori, vel poſteriori caluitie ejus, cutisque carnis fuerit ſecundum aſpectum Lepræ.

44. Is leproſus eſt & immundus, omnino immundum pronuntiabit eum Sacerdos, macula ejus eſt in capite ejus.

38. Vir ſiue mulier, in cujus cute candor apparuerit.

39. Intuebitur eos Sacerdos: ſi deprehenderit ſubobſcurum alborem lucere in cute, ſciat non eſſe lepram, ſed maculam coloris candidi, & hominem mundum.

40. Vir, de cujus capite capilli fluunt, caluus & mundus eſt.

41. Et ſi à fronte ceciderint pili, recaluaſter & mundus eſt.

42. Sin autem in caluitio ſiue in recaluatione albus vel rufus color fuerit exortus.

43. Et hoc Sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubiè lepræ, quæ orta eſt in caluitio.

44. Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis.

VErſibus 38. & 39. quantum ego quidem perſpicio per בְּהָרֹת בְּהָרֹת לְבָנֹת *beharoth beharoth lebanoth*, *candores candores albos* intelligi debent Puſtulæ ſiue veſiculæ ſimplices, quales in *Scabie*, item *Variolis:* cuticulam duntaxat eleuant, quæ ſi reddantur כֵּהוֹת *ceboth*, *ſubobſcuræ*, id eſt, in cruſtas vertantur, indicium dant ſanationis proximæ, quapropter Sacerdos hujusmodi Hominem mundis adnumerare & poterat & debebat. Obſcuræ heic ſunt Verſiones noſtræ, quæ habent *Lentiginem, einen weiſſen Grind. Lentigo*, Φακὸς, *Lenticula*, nobis *Leberfleken*, *Sommerfleken*, eſt quidem etiam Affectus ex cutaneis, maculæ nempe Lentium colore & magnitudine, quibus cutis Soli expoſita conſpergitur, quæ ſanè non poſſunt dici *beharoth beharoth lebanoth; der weiſſe Grind*, vocabulum vernaculæ noſtræ, nullius eſt ſignificationis.

Quæ ſequuntur, *Caluitiem* attinent, ſeu Capillorum defectum, qui Græcis dicitur Φαλάκρωσις, Φαλάκρωμα, μαδάρωσις, μαδαρώτης, μάδισις, & ſine ulcuſculis adeſt, vel cum his. Illam mundam declarabat Legislator, hanc immundam. Ibi clauditur Cutis, cicatrizatione ſanata, ut pili propullulare amplius nequeant: ſed & excidunt ſponte pili poris dilatatis, nutrimenti defectu, graui morbo ſuperato. Quod ſi è contra erodatur Cutis, atque radices pilorum ſuffodiantur, tunc non excidunt duntaxat, ſed eleuant ſeſe tubercula ſcabioſa, leproſa, immunda.

TAB.

LEVITICI Cap. XIII. v. 38-44.
Ulcerosa Cutis asperitas.

III. Buch Mosis Cap. XIII. v. 38-44.
Ihreine rauhe Haut.

H. Sperling sculp.

LEVITICI Cap. XIII. v. 47-ad fin.
Lepra Vestium.

III. Buch Mosis Cap. XIII. v. 47-ad fin.
Kleider-Aussatz.

G.D.Heüman. sculps.

TAB. CCLXXI.

Leuit. Cap. XIII. verſ. 47. ad fin.

47. Veſtis, in qua fuerit macula Lepræ, ſiue lanea fuerit veſtis, ſiue linea.

47. Veſtis lanea ſiue linea, quæ lepram habuerit.

48. Siue fuerit in ſtamine vel ſubtegmine lineo aut laneo, ſiue in pelle, ſiue in opere pelliceo.

48. In ſtamine atque ſubtegmine, aut certè pellis, vel quicquid ex pelle confectum eſt.

49. Si, inquam, macula hujusmodi (a) lurida fuerit vel ſubrufa, in veſte aut in pelle, in ſtamine vel ſubtegmine, aut in quocunque Inſtrumento pelliceo, macula Lepræ eſt.

49. Si alba vel rufa macula fuerit, infecta lepra reputabitur, oſtendeturque Sacerdoti.

(a) Quidam pro lurida, liuida aut viridis legunt.

50. Sacerdos igitur inſpiciet maculam illam, & includet (eum qui habet) maculam ſeptem diebus.

50. Qui conſideratam recludet ſeptem diebus.

51. Septimo die inſpiciet Maculam, quæ ſi dilatata fuerit in Veſte, aut in ſtamine, aut ſubtegmine, aut in pelle, aut in quocunque eo, quod conficitur ex pelle, Lepra eſt corrodens, & macula immunda.

51. Et die ſeptimo rurſus aſpiciens, ſi deprehenderit creuiſſe, lepra perſeuerans eſt, pollutum judicabit veſtimentum, & omne in quo fuerit inuenta.

52. Comburet itaque Veſtem, aut ſtamen, aut ſubtegmen, ſiue laneum fuerit ſiue lineum, aut quodcunque inſtrumentum pelliceum, in quo fuerit macula, quia Lepra corrodens eſt, igne comburetur.

52. Et idcirco comburetur flammis.

53. Quod ſi Sacerdos viderit maculam non creuiſſe in veſte, aut in ſtamine, aut ſubtegmine, aut in quocunque inſtrumento pelliceo.

53. Quod ſi eam viderit non creuiſſe.

54. Præcipiet Sacerdos, ut lauent id, in quo eſt macula, includetque illud denuo ſeptem diebus.

54. Præcipiet, & lauabunt id, in quo lepra eſt, recludetque illud ſeptem diebus aliis.

55. Poſteaquam verò lotum fuerit, inſpiciet Sacerdos maculam ipſam, & ſi macula ſpeciem ſuam non mutauerit, nec ipſa macula creuit, immunda eſt, igne combures eam, corroſio eſt in caluitio occipitis, aut in recaluaſtri loco.

55. Et cum viderit faciem quidem priſtinam non reuerſam, nec tamen creuiſſe lepram, immundum judicabit, & igne comburet, eo quod infuſa ſit in ſuperficie veſtimenti, vel per totum, lepra.

56. Et ſi viderit Sacerdos maculam obſcuriorem redditam, poſtquam lota eſt, ſcindat eam à Veſte, aut à pelle, aut à ſtamine, aut à ſubtegmine.

56. Sin autem obſcurior fuerit locus lepræ, poſtquam veſtis eſt lota, abrumpet eum, & à ſolido diuidet.

57. Et ſi adhuc apparuerit in Veſte, aut in ſtamine, aut ſubtegmine, aut quocunque inſtrumento pelliceo (Lepra) repullulaſcens eſt, Igne exures maculam, quæ eſt in ea.

57. Quod ſi ultra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis & vaga: debet igne comburi.

58. Et veſtis, ſiue ſtamen ſit, ſiue ſubtegmen, ſiue quodcunque inſtrumentum pelliceum, quæ laueris, ſi receſſerit macula ab eis, lauabitur ſecundò, & tunc mundum erit.

58. Si ceſſauerit, lauabit aqua ea, quæ pura ſunt, ſecundo, & munda erunt.

59. Iſta eſt Lex Plagæ Lepræ, in Veſte lanea vel linea, ſtamine, vel ſubtegmine, & in omni inſtrumento pelliceo, ad emundandum vel contaminandum ipſum.

59. Iſta eſt Lex Lepræ veſtimenti lanei & linei, ſtaminis atque ſubtegminis, omnisque ſupellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

TExtus, in quem nunc commentamur, & longus eſt, & clarus, ſed materia ex obſcuriſſimis. Adſunt omnia *Lepræ veſtium* ac *Pannorum* indicia, & tamen fatentur Interpretum doctiſſimi quique, ſe ignorare hunc Morbum. Audi ipſam Clariſſimi *Clerici* confeſſionem. *Nihil quidquam occurrit ſimile, aut adſine, in antiquis Scriptoribus, nec poterant, proprie ſi loquamur, Veſtes, aut muri, ſimili morbo laborare, ac Hominum Cutis.* Addit tamen is, ne nihil dixiſſe videatur, conjecturam, potuiſſe Lepram hanc oriri ab aura quadam peſtilentiali. Prætendunt alii, fuiſſe hanc, imo & alias Lepræ ſpecies, Nationi Judaicæ peculiares, in pœnam datas, imo, quod vult *Maimonides Tr. de Lepra* c. 16. miraculoſas. Proponam & ego, ſalua licet aliorum authoritate, cogitata mea. Voluit DEUS, ut populus ſuus eſſet & moraliter ſanctus, & corpore mundus; præcepit, ut non inquinaretur ulla re immunda, & vel hac ipſa Lege præſeruaretur à morbis variis. Injunxit ea propter, ut caueret ſibi ab omnibus Animalibus immundis, maleſanis, ab omni genere Lepræ, imo fere cutaneorum Affectuum, præprimis ulceroſorum, ne inficeretur per contagium. Nunc pergit Legislator ad *Lepram Veſtium*, ſeu laneæ fuerint hæ, ſeu lineæ, ſeu pelliceæ; & mihi quidem videtur hæc ipſa Lex cohærere cum prægreſſa proxime. Leproſi cujusuis induſia atque veſtes inficiunt æque, mo magis adhuc, quam quoduis aliud cum Leproſis commercium: inficit ſanies illa purulenta pannis adhærere ſolita eos, qui corpora ſua hujusmodi veſtibus induunt, per contactum immediatum, affigit ſe glutinis inſtar, explet filamentorum interſtitia, imo acrimonia ſua ipſam texturam erodit, ut, quod Experientia nos docet, loturam ipſam vix absque ruptura ſuſtineant, & maculæ ægrè expurgentur. Oſtentant hujusmodi varicolores maculas, flaueſcentes, vireſcentes, rubidas, quarum fit mentio in Textu, non ſolùm induſia *Leproſorum*, ſed quoque *Lue Venerea* infectorum, & *Gonorrhœa* inprimis virulenta laborantium. Voluit proin Legislator injungere attentionem ad Veſtes, curam circa eas: Ad quid enim juuiſſet, quæſo, cura Leproſi, ſi veſtes ſanie illa virulenta infectas denuò induiſſet? Imo verò ſollicita hæc Veſtium cura conuenit omni Medico. Si quos curamus Tineâ, eorum abjicimus, & in fruſta diſcindimus, pileos: ſi Lue Venereâ, Induſia: & procuramus noua, ne contactu priorum denuò inficiantur, ſicque patiantur recidiuas. Conjecturam hanc meam doctiorum judicio facilis ſubmitto, quàm & confirmant ea, quæ obſeruamus, tum circa contagium, tum circa curam *Peſtis* præſeruatoriam. Notum quippe, Luem illam ſæuam propagari inprimis per pannos, Lintea, veſtes, proinde ab omnibus Magiſtratibus prohiberi ſollicitè, ne quid vel lanei, vel linei, vel pellicei ex infectis locis aliorſum transferatur, eò quidem usque rigoris, ut ſi Epiſtolæ alicui incluſum

LEVITICI cap. XIV. v. 4-7.
Leprosorum purgatio.

III. Buch Mosis Cap. XIV. v. 4-7.
Reinigung der Aussätzigen.

G. D. Heüman sculp.

cluſum ſit vel unicum filum, continens cum contento comburi ſoleat ex præſcripto Sereniſſimæ Reip. Venetæ. Notum item, adhæreſcere ita firmiter Venenum, qualecunque id ſit, peſtilentiale filis & contextis inde pannis, ut Peſtis dudum extincta ex reproducto forte hujusmodi vel panno vel Veſte fuerit paſſim reſuſcitata, nouos de Mortalium familia actura triumphos. Et quod de lotione infectorum pannorum ſeptiduo elapſo repetenda præſcribit Moſaica Lex, adeò cautè obſeruatum fuiſſe recordamur in diriſſima illa Maſſilienſium Peſte, ut omnia lanea, bombycina, ſericea, linea, Aquæ & Lixiuiorum purgationem ante ſuſtinere debuerint, quàm extra limites potuerint deferri, vel uſui adhiberi. Dum hæc ſcribo, obſeruo, *Abarbanelem*, virum ex Judæis doctum, in easdem prope mecum incidere cogitationes, & in ea fuiſſe ſententia, quod incubuerit ſacerdotibus non ſolùm Leproſorum corpora inſpicere, ſed quoque Veſtes, id quod etiam clarum ex ipſo Textu.

V. 55. occurrunt voces בְּקָרַחְתּוֹ אוֹ בְּנִבַּחְתּוֹ *bekarachtho o begabbachtho*, quas vertimus, *in caluitio Occipitis aut recaluaſtri loco*, proprie, *in caluitio occipitis ejus, aut in caluitio ſincipitis ejus:* figuratæ ſunt hæ Locutiones, deſumtæ ex caluitie capitis, ſignificantque partes Veſtium depiles: vertendæ autem ſunt adæquatè ad ipſa objecta, & loquendi morem; ad veſtem, ſeu pannum, cujus intelligitur utraque pars, ſuperior & inferior, recta & inuerſa. Nos commodè diceremus, *die rechte oder obere, und letzte oder untere Seite*, Galli, *le droit, & le revers*, v. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 45.

TAB. CCLXXII.

Leuit. Cap. XIV. verſ. 4. 5. 6. 7.

4. Præcipiet Sacerdos, ut tollat is, qui mundandus eſt, duas Auiculas viuas & mundas, & Lignum Cedrinum, & Coccum bis tinctum, atque Hyſſopum.
5. Et præcipiet Sacerdos mactari unam Auem, ſuper Aquis viuis.
6. Auiculam verò viuam accipiet cum Ligno cedrino, cocco bis tincto, & Hyſſopo, & intinget ea cum Aue viua in ſanguine Auis jugulatæ ad aquas viuas.
7. Et aſperget ſuper mundandum à Lepra ſepties, & emundabit eum, dimittetque Auem viuam in ſuperficie campi.

Mundabit, id eſt, mundum pronuntiabit, externa ſcilicet ceremonia mundum declarabit, qui prius mundus eſt.

4. Præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos paſſeres viuos pro ſe, quos veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculumque, & hyſſopum.
5. Et unum ex paſſeribus immolari jubebit in vaſe fictili ſuper aquas viuentes:
6. Alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati.
7. Quo aſperget illum, qui mundatus eſt, ſepties, ut jure purgetur, & dimittet paſſerem viuum, ut in agrum auolet.

IN Ceremoniali Leproſorum purgatorio jubentur inter alia ſumi *duæ Auiculæ viuæ & mundæ*, δύο ὀρνίθια ζῶντα καθαρὰ. Vocem, quæ in Originali extat, צִפּוֹרִים *tſipporim* explicat *Origenes in Leuit. Homil.* 8. per *Gallinas*, & per eas intelligit CHRISTUM, qui & in Euangelio cum Gallina ſe confert. Subſcribit Auctor *Epiſtolæ 39. de diuerſis Leprarum generibus* in Tomo IX. operum *Hieronymi*. Fuit nempe ὀρνίθιον vox Patrum æuo Gallinæ ſynonyma. Anſam opinioni dedit, quod ſcribit *Athenæus* L. IX. c. 4. ubi de Gallinaceo genere. Ἀλλὰ μὴν καὶ ὄρνιθας καὶ ὀρνίθια νῦν μόνον ἡ συνήθεια καλεῖ τὰς θηλείας. *Nunc quidem mos inualuit, ut Gallorum fœminæ ſolum* ὄρνιθες & ὀρνίθια *dicantur.*

Genuinus vocis צִפּוֹר *tſippor* ſignificatus eſt tum generalis, tum ſpecialis. Priore ſenſu comprehendit omnis generis *Auiculas*, poſteriori *Paſſeres. Schindler in Lex.* צפור *auicula circumuolitans, aut quæ in Aere gyratur. Comprehendit*

hendit Aues minores, & harum frequentiorem hominibus Paſſerem, Auem communiſſimam. Philo Lib. quis rerum diuinarum ſit hæres. Sepphora eſt στρούθιον, *Auicula.* Imo *Kimchio* & *Pomario* צפור nomen eſt omni Aui commune. Hoc ſanè ſenſu ſumitur Deut. IV. 17. XIV. 11. XXII. 6. Pſal. VIII. 9. CXLVIII. 10. alibi. Heic tamen *Hieronymus tſippor* reddit per *Paſſerem*, & ſic interpres vetus Pſal. X. 1. LXXXIII. 4. CIII. 16. CXXIII. 7. Græcos ſequutus, qui exponunt per στρούθιον, quæ vox pro Paſſere occurrit, Matth. XII. 29. Luc. XII. 6. Syrus habet *tſipparin*, Arabs *atſaphiro*, *otsphur*; *Meninzki Lex.* habet *usfur*. Plur. *æſafir* p. 3275. *æsfur* p. 2394. & Turcis Paſſer luteus eſt *Sæfaryel* p. 2964. quæ voces omnes noſtræ צפור ſunt affines. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. I. c. 21.

De אזוב *ezob*, *Hyſſopo*, שני תולעת *cocco vermiculi*, & ארז עץ *ets erez*, *Ligno cedrino*, actum eſt alibi. τὸ τυπικὸν non mei eſt fori. Placet, Paſſerem jugulatum Typum fuiſſe CHRISTI crucifixi, Paſſerem alterum, qui viuus dimittebatur, ejusdem rediuiui; vel, hunc ſignificaſſe CHRISTI Animam, aut Naturam Diuinam, aut Barrabam, aut Humanum genus Morte CHRISTI ſeruatum. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 54.

TAB. CCLXXIII.

Leuit. Cap. XIV. verſ. 10.

Octauo die accipiat duos agnos integros, (a) & ouiculam unam anniculam integram, & tres decimas ſimilaginis pro cibario ſacrificio, quod permixtum ſit oleo, & unum Log Olei.

(a) Integra pecus dicitur, quæ omni vitio caret.

Die octauo aſſumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, & tres decimas Similæ in ſacrificium, quæ conſperſa ſit oleo, & ſeorſum olei ſextarium.

Occurrit heic ex Hebræorum menſuris cauis לוג *log*, *Logus*, ex Rabbinorum traditione $\frac{1}{12}$. Hin, æqualis proin Sextario, item 6. ouorum teſtis. *Eiſenſchmid menſ.* p. 88. reducit ad $28\frac{1}{12}$. pollices cubicos Pariſinos. Ad menſuras Tigurinas reductio facta dat $\frac{19}{54}$. dimidiæ menſuræ ſiue $\frac{38}{54}$. quartæ menſuræ ruralis: $\frac{41}{48}$. quartæ menſuræ urbicæ. Extractio Radicis Cubicæ dat pro latere Cubi τῆ לוג 36. Lineas Pariſin. ſiue 3. poll. & paulò plus. Per tres autem decimas ſimilaginis, quæ pro cibario ſacrificio adhiberi debebant, intelligi debent procul dubio tres decimæ Epha, ſiue tria עֹמֶר *omer*. Hanc in rem vide Comm. ad Exod. XVI. 36. ubi inuenies æquari Homer $202\frac{1}{5}$. poll. cub. Pariſ. proin $\frac{3}{10}$. Ephæ dabunt $606\frac{3}{5}$. Qui in cubi formam redigere cupit quantitatem hanc, inueniet pro latere 8″. 5‴. Propter ſpatii anguſtiam ſumſi loco 36. Linearum 18. Pariſinas pro latere Cubi.

LEVITICI Cap. XIV. v. 10.
Sacrificium Leprosi purgatorium.

III. Buch Mosis Cap. XIV. v. 10.
Reinigungs-Opfer der Aussätzigen.

G. D. Heuman sculp.

LEVITICI Cap. XIV. v. 34 - 48.
Lepra ædium.

III. Buch Moſis Cap. XIV. v. 34 - 48.
Häuſer-Ausſatz.

G. D. Heiman sculp.

TAB. CCLXXIV.

Leuit. Cap. XIV. verſ. 34 - 48.

34. Quum veneritis in Terram Chanaan, quam ego do vobis poſſidendam, & dedero maculam Lepræ in domo Terræ poſſeſſionis veſtræ.

35. Veniet is, cujus eſt domus, & indicabit Sacerdoti hisce verbis, Quaſi macula (Lepræ) mihi videtur eſſe in domo.

36. Et jubebit Sacerdos, ut domum illam expurgent, priusquam Sacerdos eam ingrediatur, ad inſpiciendam maculam, ne immundum fiat, quidquid eſt in domo illa; poſt hoc debet ingredi Sacerdos ad inſpiciendam domum, & ut inſpiciat maculam.

37. Si macula fuerit in parietibus domus, foueæ ſcilicet luridæ, aut ſubrufæ, & aſpectus earum profundior erit ipſo pariete.

38. Exibit Sacerdos è domo ad oſtium domus, & occludet domum ſeptem diebus.

39. Die ſeptimo reuertetur ſacerdos, & ſi viderit creuiſſe maculam in parietibus domus.

40. Præcipiat Sacerdos, ut eruant Lapides, in quibus eſt macula, & projiciant eos extra ciuitatem ad locum immundum.

41. Et domum illam radant intus circumquaque, effundentque puluerem, quem abraſerint, extra ciuitatem ad locum immundum.

42. Et accipiant lapides alios, quos in locum iſtorum lapidum ſubſtituant, accipiatque alium puluerem, cum quo domui tectorium obducat.

43. Et ſi macula redierit, & pullulauerit in domo, poſtquam eruti fuerint lapides, & poſtquam ab-

34. Cum ingreſſi fueritis Terram Chanaan, quam ego dabo vobis in poſſeſſionem, ſi fuerit plaga lepræ in ædibus.

35. Ibit cujus eſt domus, nuncians ſacerdoti, & dicet: Quaſi plaga Lepræ videtur mihi eſſe in domo mea.

36. At ille præcipiet, ut efferantur uniuerſa de domo, priusquam ingrediatur eam, & videat utrum leproſa ſit, ne immunda fiant omnia, quæ in domo ſunt: intrabitque poſtea, ut conſideret Lepram domus.

37. Et cum viderit in parietibus illius quaſi valliculas pallore ſiue rubore de formes, & humiliores ſuperficie reliqua.

38. Egredietur oſtium domus, & ſtatim claudet illam ſeptem diebus.

39. Reuerſusque die ſeptimo, conſiderabit eam, ſi inuenerit creuiſſe Lepram.

40. Jubebit erui lapides, in quibus lepra eſt, & projici eos extra ciuitatem in locum immundum.

41. Domum autem ipſam radi intrinſecus per circuitum & ſpargi puluerem raſuræ extra urbem in locum immundum.

42. Lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum.

43. Sin autem poſtquam eruti ſunt lapides, & puluis elatus, & alia terra lita.

raſerint domum, atque tectorium abduxerint.

44. Veniet Sacerdos, & ſi viderit creuiſſe maculam in illa domo, Lepra corrodens eſt in illa domo, immunda eſt.

45. Diruet ergo domum illam, lapides ejus, Ligna ejus, & cunctum puluerem illius domus efferet extra ciuitatem ad locum immundum.

46. Et qui ingreſſus fuerit domum illam omnibus diebus, quibus clauſit eam (Sacerdos) immundus erit usque ad veſperam.

47. Qui jacuerit in domo illa, lauabit veſtimenta ſua, & qui comederit in domo illa, eluet veſtimenta ſua.

48. Et ſi Sacerdos venerit, videritque non creuiſſe plagam in domo, poſtquam oblita eſt domus, mundam pronuntiabit Sacerdos domum illam, quoniam ſanata eſt plaga illa.

44. Ingreſſus Sacerdos viderit reuerſam Lepram, & parietes reſperſos maculis, lepra eſt perſeuerans, & immunda domus.

45. Quam ſtatim deſtruent, & lapides ejus ac ligna, atque uniuerſum puluerem projicient extra oppidum in locum immundum.

46. Qui intrauerit domum, quando clauſa eſt, immundus erit usque ad veſperum.

47. Et qui dormierit in ea, & comederit quippiam, lauabit veſtimenta ſua.

48. Quod ſi introiens Sacerdos viderit lepram non creuiſſe in domo, poſtquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita ſanitate.

SUperat facile hic Textus amplitudinem Commentarii, idque propter ſingularem materiæ raritatem. Morbus eſt deſcribendus, qui neque Homines adoritur, neque Bruta, neque Plantas, ſed corpora Inanimata, Saxa, Lapides, Muros: Debebat DEI Populus non viuere duntaxat juxta Regulas Diæteticæ, veſci cibis ſanis, non ſolùm mundis, nec infectis, indui veſtibus, ſed & inhabitare Ædes puras, ab omni contagio liberas. Ad Diætam namque non pertinent ſoli cibi, ſed & Veſtes, ſed & Ædes. Harum muri integri, è ſaxis integris conſtructi, perpendiculariter erecti, tectorio obducti, non ad decus duntaxat faciunt, & ſtructuræ firmitatem, ſed quoque conducunt ſanitati. Murus à particulis ſalinis, nitroſis, exeſus, ſulphureis inſuper & oleoſis, vel etiam Arſenicalibus eroſus, non ſolùm ruinæ eſt pronus, ſed & maleſanus: conuolat eò quicquid adeſt halituum impurorum, ut ſaxa ipſa veluti ab Herpete aut Carcinomate magis exedantur ac magis, & labes inficiat utenſilia, atque Homines. Exemplo ſunt *Latrinæ*, quarum parietes à ſale Urinæ armoniacali ita ſæpe corroſos videmus, ut duriſſima antea ſaxa tandem collabantur, & digitis confricari poſſint. Saxa noſtra cæmentitia, quæ ſemel à materia quadam ſalina arroſa absque profunda abraſione ſanari nequeunt, quia ſalinæ illæ particulæ Aere inprimis humido ſolutæ continuò pergunt per pororum interſtitia, & arenarum vincula relaxant. Teſtantur, quas de Peſte habemus, Hiſtoriæ, corripere Contagium non Veſtes duntaxat, laneas, lineas, pelliceas, ſed & parietes, muros, horum cauitates & ſcrobiculos, ibique diu reſidere. In *Pauli Warnefridi L. II. de Geſtis Longobardor.* legimus aliquid Lepræ domorum in Textu deſcriptæ haud abſimile. *Narſetis temporibus in Prouincia præcipuè Liguriæ maxima Peſtilentia exorta eſſe dicitur, & ſubito apparuiſſe quædam ſignacula per domos, oſtia, vaſa & Veſtimenta, quæ ſi quis voluiſſet abluere, magis atque magis apparuerint.* Hæc, quæ propoſui hactenus, è gremio Naturæ deduxi, haud ignarus, doctiſſimos fere quosuis Scripturæ Interpretes ad Miraculum confugere, & pœnam populo DEI peculiarem, quam innuere videtur ipſe Legislator v. 34. *dedero maculam Lepræ in domo terræ poſſeſſionis veſtræ.* Sed eſt hæc Phraſis Scripturæ ſacræ admodùm familiaris. Dat DEUS, non iners Materia, non Chimærica quædam Natura, pluuiam, Rorem, Grandinem, fœcunda tempora: cur non & Lepram? Illuſtrandæ huic de Domorum Lepra materiæ inſeruit porrò, quod obſeruant Lapicidæ de Carbo-

LEVITICI Cap. XV. v. 2-18.
Purgatio Gonorrhœorum.

III. Buch Mosis Cap. XV. v. 2-18.
Reinigung vom Saamen-Fluß.

G. D. Heuman sculp.

Carbonis foſſilis quodam genere, *Steingalle* vocant, quaſi dicas, Saxorum Fel, ab eo facile ſaxa erodi, nimirum propter Sal Pyritæ, quod minerali huic eſt ut plurimùm ſociatum, Vitriolicum, quod Aere humido ſoluitur.

TAB. CCLXXV.

Leuit. Cap. XV. verſ. 2 - 13. 16 - 18.

2. Loquimini ad filios Iſrael, & dicite ad eos: Quicunque fluxum habuerit è carne ſua, fluxu ſuo immundus erit.

2. Loquimini filiis Iſrael, & dicite eis: Vir qui patitur fluxum ſeminis, immundus erit.

3. Hæc vero erit immunditia ejus in fluxu ſuo, ſi caro ejus fluxum ſuum expuit, aut ſi Caro ejus obſtructa fuerit à fluxu ſuo, hæc immunditia ejus eſt.

3. Et tunc judicabitur huic vitio ſubjacere, cum per ſingula momenta adhæſerit carni ejus, atque concreuerit fœdus humor.

4. Omne ſtratum, ſuper quo jacuerit ſic fluens, immundum erit, & omnis res, ſuper qua ſederit, immunda eſt.

4. Omne ſtratum, in quo dormierit, immundum erit, & ubicunque ſederit.

5. Et quicunque ſtratùm ejus tetigerit, lauabit veſtimenta ſua in aquis, & immundus erit usque ad veſperam.

5. Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lauabit veſtimenta ſua, & ipſe lotus Aqua, immundus erit usque ad veſperum.

6. Et qui ſederit ſuper aliquo, ſuper quo fluens ſedit, eluet veſtimenta ſua, & lotus Aqua immundus erit usque ad veſperam.

6. Si ſederit, ubi ille ſederat, & ipſe lauabit veſtimenta ſua: & lotus aqua immundus erit usque ad veſperum.

7. Qui tetigerit carnem ejus, qui fluit, eluet veſtimenta ſua, & lauabit Aqua, eritque immundus usque ad veſperam.

7. Qui tetigerit carnem ejus, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.

8. Et ſi conſpuerit is, qui fluxum habet, in mundum aliquem, eluet ille veſtimenta ſua, & lotus Aquâ immundus erit usque ad veſperam.

8. Si Saliuam hujuscemodi homo jecerit ſuper eum, qui mundus eſt, lauabit veſtimenta ſua; & lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.

9. Quicquid ad equitatum aut vecturam pertinet, ſi is qui fluxum habet illud inſcenderit, immundum erit.

9. Sagma ſuper quod ſederit, immundum erit.

10. Et quicunque tetigerit rem quamlibet, quæ ſub eo eſt, immundus erit usque ad veſperam. Et qui geſtauerit ipſa, eluet veſtimenta ſua Aquâ, & immundus erit usque ad veſperam.

10. Et quicquid ſub eo fuerit, qui fluxum ſeminis patitur, pollutum erit usque ad veſperum. Qui portauerit horum aliquid, lauabit veſtimenta: & ipſe lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.

11. Et quemcunque tetigerit is, qui fluxum patitur, & manus ſuas Aquâ non abluit, eluet veſtimenta ſua, & lotus Aquâ immundus erit usque ad veſperam.
12. Vas teſtaceum, quod tetigerit fluens, confringetur, & omne vas ligneum Aquâ abluatur.
13. Poſteaquam verò fluens à fluxu ſuo mundatus fuerit, numerabit ſibi ſeptem dies pro ſui emundatione, & lotis veſtimentis ſuis lauabit & carnem ſuam Aquis viuis, & ſic mundus erit.
16. Vir, de quo egreditur projectio Seminis, (a) lauabit totam carnem ſuam Aquâ, & immundus erit usque ad veſperam.
(a) Quidam legunt, ſomniale ſemen: hoc eſt, quod ſomno effluit.
17. Omnis veſtis, atque omnis pellis, in qua fuerit projectio Seminis, eluetur Aqua, & immunda erit usque ad veſperam.
18. Et mulier, cum qua dormierit vir, qui habet projectionem ſeminis, lauabunt (uterque) Aqua, & immundi erunt usque ad veſperam.

11. Omnis quem tetigerit qui talis eſt, non lotis antè manibus, lauabit veſtimenta ſua; & lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.
12. Vas fictile quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lauabitur aqua.
13. Si ſanatus fuerit, qui hujuscemodi ſuſtinet paſſionem, numerabit ſeptem dies poſt emundationem ſui: & lotis veſtibus & toto corpore in aquis viuentibus, erit mundus.
16. Vir de quo egredietur ſemen coitus, lauabit aqua omne corpus ſuum, & immundus erit usque ad veſperum.
17. Veſtem & pellem quam habuerit, lauabit aqua, & immunda erit usque ad veſperum.
18. Mulier cum qua coierit, lauabitur aqua, & immunda erit usque ad veſperum.

VIdetur Legislator v. 2. loqui de omni *Ulcere* ſeu *Fiſtula* fluente, quia ſimpliciter mentio fit *fluxus è carne.* Verùm ſi attentè inſpiciatur Textus integer, patebit intelligi debere hac Phraſi *fluxum Seminis*, ſiue *Gonorrhœam.* Reddunt equidem & LXX. ῥῦσιν ἐκ τῆ σώματος, ſed Vulgata clarius *fluxum Seminis*, & conueniunt omnes Interpretes, ſignificare בָּשָׂר *baſar* pudenda virilia, uti & Ezech. XXIII. 20. *Deperiit concubitores ſuos, quorum caro Aſinorum caro erat, & fluxus ſeminalis eorum fluxus Equorum. (Et inſaniuit libidine ſuper concubitum eorum, quorum carnes ſunt ut carnes aſinorum, & ſicut fluxus equorum, fluxus eorum.)* Ubi pro *Carne* adeſt בְּשָׂר. In *Ariſtophane* legitur κέρας μέγα.

Reddebat fœdus hic Morbus, fœdæ libidinis fructus, virum immundum, nec abs re: Semen ipſum, ſed & Liquor ille è Proſtatis fluens, ſeminis vehiculum, ſi contraxerit acrimoniam, ex contagio inprimis impuro, aucta hac acrimonia à particulis ſalſis quibuscunque ex Sanguinis maſſa in has ipſas partes depoſitis, veneni rationem habet, quod & proximum, & proximam, inficere valet. Teſtis eſt, eheu! Experientia, quàm facile ab uno Sexu transeat virus hocce ad alium: imò vel Lecto mediante, quo fortè decubuit Gonorrhœâ laborans. Hodie equidem non ita ſumus, ut Iſraelitæ fuerunt ex mandato DEI, delicati, ut immunditiei notâ afficiatur *omnis res, ſuper qua ſederit (Sic fluens)* v. 4. 6. *quicunque ſtratum ejus tetigerit* v. 5. *qui tetigerit carnem ejus, qui fluit* v. 7. *conſputus.* v. 8. *quidquid ad equitatum aut vecturam pertinet, quod is, qui fluxum habet inſcenderit.* v. 9. qui fuerit duntaxat *tactus* v. 10. *vas omne teſtaceum & ligneum, quod tetigerit fluens.* v. 12. Volebat, ut in omni Lege ceremoniali, ita & heic, docere DEUS populum ſuum, & inſinuare præcautionem ab impuritate quauis, imo vel à ſuſpicione & metu immunditiei. Sed obſeruandum inſuper, hujusmodi Morbos, de quibus heic ſermo, acriores longe eſſe, & virulentos magis, ſuique communicatiuos in Orientalibus illis, quam temperatioribus & Occidentalibus Regionibus: & inde fortè, vel ex parte, arceſſendam *Turcarum* ſummam, imo ſuperſtitioſam prorſus, munditiem, qui tantùm non lotionibus ſæpiſſimè repetitis onerantur, & juxta Mahometis præſcriptum lauari neceſſe habent, ſi vel guttula urinæ cadat.

Duplex

Duplex exprimitur Morbus v. 3. vel duplex ejusdem Morbi facies; *ſi caro fluxum ſuum exputt*, eſt *Gonorrhœa*, quæ ſubdiſtinguitur in *benignam & virulentam*, ſed & alias patitur diſtinctiones, prout vel magis profundè vel minus eſt radicata: *ſi caro obſtructa fuerit à fluxu ſuo*, *Gonorrhœa* vocatur *ſuppreſſa*, quò pertinet ipſa *Hernia ſeminalis*, pejus fluente Gonorrhœâ malum. Pertinebit ad immundos quoque Morbos *Lues* ipſa *Venerea*, *Gallica* dicta, quæ Gonorrhœam indiuulſum habet comitem. Accidit ſæpe Gonorrhœâ laboranti, ut per aliquot dies fluxus ceſſet, rediturus breui, ni ſit curatus radicitus, majori cum impetu. Hinc eſt, quod *fluens, ſi à fluxu ſuo fuerit mundatus, ſeptem dies*, quibus occludi debebat, *numerare* debuerit *pro ſui emundatione* v. 13.

Qui ſtrictas Capitis præſentis Leges ſpeciatim v. 16. & ſeqq. penitius, unam poſt aliam, introſpicit, is facile videt, non duntaxat pro ſcopo habuiſſe Legislatorem externam munditiem, in Orientalibus illis Regionibus apprimè neceſſariam, ſed & internam puritatem, ἁγιασμὸν, abſtinentiam ab operibus carnis, vel moderationem etiam circa licita. Vix ſanè aliter fieri poterat, quàm ut à peccatillis, ſi quæ ſunt in Veneris caſtris, abſtinere debuerit, qui tot lotionibus, ſeparationibus, occluſionibus Lege fuit poſt laſciuas actiones obnoxius. Sanè pudicam, puram, vitam agere debuit, qui honeſtam voluit & ſocialem, & res ſuas agere in commercio. Nam peccati pediſſequa fuit lotio, fuit ſeparatio, fuit ſacrificium. Omnia hæc ſuum poſcebant tempus, moleſtiam habebant comitem, ſæpe tædium.

Separationem quidem non ſemper intelligo à Societate Humana, ſed inprimis, & ſpeciatim, à cultu ſacro. Et per *projectionem Seminis* שִׁכְבַת־זֶרַע *ſchichbath Zæra* v. 16. non tam intelligi debet *pollutio nocturna*, vel *ſomniale ſemen*, quod exprimunt Gloſſæ marginales, vel non ſola, ſed omnis cum muliere coitus, quo projicitur ſemen. Fuerunt ſanè hujusmodi lotiones à coitu uſitatæ etiam Gentibus aliis, præſertim Orientalibus. De *Babyloniis* & *Arabibus* hæc legas apud *Herodotum* L. I. c. 198. Ὁσάκις δ' ἂν μιχθῇ γυναικὶ τῇ ἑωυτῆς ἀνὴρ Βαβυλώνιος πυρὶ θυμίαμα καταγιζόμενον ἵζει, ἑτέρωθι δὲ ἡ γυνὴ τ' ὠυτό τὸ τῆτο ποιέει. Ὀρθρε δὲ γενομένε, λέυνται ἀμφότεροι. Ἄγγεος γὰρ ἀδενὸς ἅψονται, πρὶν ἂν λόσωνται. Ταῦτά δὲ ταῦτα καὶ Ἀραβίων ποιέεσι. Quæ ita reddo. *Vir Babylonius quoties cum uxore ſua coiuerit cunque, thymiama Igni offert in ſacrificium: idem facit & Mulier. Diluculo verò uterque ſe lauant: non enim illis vas aliquod tangere prius licet, quàm loti fuerint. Idem obſeruant Arabes.* Et de *Ægyptiis* idem L. II. c. 64. τὸ μὴ μίσγεσθαι γυναιξὶ ἐν ἱρῶισι, μηδὲ ἀλάτας ἀπὸ γυναικῶν ἐς ἱερὰ εἰσιέναι, ἔτοί εἰσι οἱ πρῶτοι θρησκεύσαντες, quod nemini licitum fuerit *coire in Templo, nec Templum ingredi poſt commiſtionem absque lotione.* Mos idem obtinuit quoque apud *Græcos.* Hinc eſt, quod Sacerdotes Ægyptii, inſtantibus inprimis Feſtis ſacris, abſtinere debuerint inter alia & ante omnia, à commiſtione cum mulieribus, πρὸ δὲ πάντων ἀφροδισίων, καὶ ὁμιλίας γυναικείας. Ita *Chæremon* apud *Porphyrium* de *Abſtinent.* L. IV. c. 7. De *Græcorum* Ritibus, qui huc pertinent, lege *Joh. Meurſium* in *Eleuſiniis* c. 7. De *Romanis* ita *Tibullus* L. II. *Eleg.* I.

Vos quoque abeſſe procul jubeo (diſcedite ab aris)
Queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.
Caſta placent Superis, pura cum veſte venite
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Transiere forſitan, quod multi volunt, hujusmodi Ritus ab ipſis Judæis ad Gentes. Contrarium prætendit *Clericus*, migraſſe has conſuetudines à Gentilibus ad Judæos, quia hujus generis Purificationes in uſu fuerint etiam ante Legem. Mihi videtur aliquid heic ſeſe immiſcere de ipſo Jure Naturæ, quod puritatem ut morum ita & externam corporis ſuadet. Quidquid ſit, habent inde quod diſcant Chriſtiani, illi inprimis, qui omnis generis immunditie tum morali, tum externa, ſeſe eheu! nimium quantum polluunt, à caſta puritate remoti. Non equidem eſt, quod ſupra jam innui, diffitendum, neceſſariam inprimis fuiſſe & eſſe munditiem, & ſanitati proficuam valde, in Climatibus illis calidioribus Orientis: ſed neque Medicos nos latet, plurimos generari Morbos ab immunditie in caſibus, de quibus nunc agimus.

TAB. CCLXXVI.

Leuit. Cap. XV. verſ. 19-28.

19. Mulier verò quæ fluxum habuerit, fueritque fluxus ejus ſanguis de carne ejus, manebit ſeptem dies in menſibus ſuis: quicunque eam tetigerit, immundus erit usque ad veſperam.

20. Et omne, ſuper quo illa jacuerit tempore ſeparationis ſuæ, immundum erit, & omne, ſuper quo ſederit, immundum erit.

21. Quicunque tetigerit lectum ejus, eluet veſtimenta ſua, & lotus Aquâ immundus erit usque ad veſperam.

22. Et quicunque rem ullam tetigerit, ſuper qua illa ſederit, eluet veſtimenta ſua, lotusque Aquâ immundus erit usque ad veſperam.

23. Et ſi quispiam ſtratum, aut inſtrumentum aliquod, tetigerit, ſuper quo illa ſederit, immundus erit usque ad veſperam.

24. Et ſi omnino jacuerit vir cum ea, quæ (a) menſes ſuos habet, immundus erit ſeptem diebus, & omne ſtratum, ſuper quo jacuerit, immundum erit.

(a) Separatio, dies aut tempus ſeparationis, periphraſis eſt menſium muliebrium, nam tum ſeparatæ habitabant.

25. Mulier ſi multis diebus fluxu Sanguinis ſui effluxerit, quum non ſit tempus profluuii ſui, aut ſi fluit ſupra profluuium ſuum, omnes dies fluxus immundi judicentur, quemadmodum dies ſeparationis ſuæ, eritque ipſa immunda.

26. Omne ſtratum, ſuper quo jacuerit omnibus diebus fluxus ſui, ſit ei quemadmodum ſtratum ſeparationis ſuæ, & omne Inſtrumentum, ſuper quo ſederit, immundum erit, quemadmodum immunditia ſeparationis ſuæ.

19. Mulier quæ redeunte menſe patitur fluxus ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad veſperum.

20. Et locus in quo dormierit vel ſederit diebus ſeparationis ſuæ, polluetur.

21. Qui tetigerit lectum ſuum, lauabit veſtimenta ſua; & ipſe lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.

22. Omne vas ſuper quod illa ſederit, quisquis attigerit, lauabit veſtimenta ſua; & ipſe lotus aqua, pollutus erit usque ad veſperum.

Hic verſus 23. ex Hebræo deſideratur.

24. Si coierit cum ea vir tempore ſanguinis menſtrualis, immundus erit ſeptem diebus; & omne ſtratum, in quo dormierit polluetur.

25. Mulier quæ patitur multis diebus fluxum ſanguinis, non in tempore menſtruali, vel quæ poſt menſtruum ſanguinem fluere non ceſſat, quamdiu ſubjacet huic paſſioni, immunda erit, quaſi ſit in tempore menſtruo.

26. Omne ſtratum in quo dormierit, & vas in quo ſederit, pollutum erit.

LEVITICI Cap. XV. v. 19-28.
Purgatio menstruatarum.

III. Buch Mosis Cap. XV. v. 19-28.
Monatliche Weiber-Reinigung.

P. G. Harder sculps.

LEVITICI Cap. XVII. v. 7.
Τραγο-σατυρολατρεία.

III. Buch Mosis Cap. XVII. v. 7.
Bock-Affen- und Waldgötter-Dienst.

I. A. Fridrich sculps.

27. Et quicunque aliquid iſtorum tetigerit, immundus erit, is eluet veſtimenta ſua, & lotus Aquâ immundus ſit usque ad veſperam.
28. Et ſi fuerit mundata à fluxu ſuo, numerabit ſibi ſeptem dies, deinde mundabitur.

27. Quicunque tetigerit eam, lauabit veſtimenta ſua; & ipſe lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.
28. Si ſteterit ſanguis, & fluere ceſſauerit, numerabit ſeptem dies purificationis ſuæ.

PRætendit *Clericus*, præcepiſſe DEUM onerosis his & aliis hujusmodi Legibus res opinione potius, vel Imaginatione, & conſuetudine, quàm in Natura fundatas, & huc, ſi benè memini, trahit illud Ezech. XX. 25. *Ego dedi eis ſtatuta non bona, & judicia, in quibus non viuent.* Id diffiteri nolim, oneri fuiſſe multa, tot lotiones, mundationes, ſeparationes, ex commercio Hominum excluſiones. Perſuaſiſſimus tamen ſum, ſcopum ex parte Legislatoris fuiſſe optimum, ſanctiſſimum, ſanitati & corporis & Animæ maximè proficuum. Erat peculium illud DEI non ſolùm ad Idololatriam, ſed & Laſciuiam, & omnis generis ἁμαρτήματα τῆς σαρκὸς pronum, nec aliter niſi rigore Legum frænari poterat, & in Rationis gyrum cogi. Et inficiari nemo poteſt, qui vel naturam rei ſubjectæ inſpicit, vel ad Climatis feruorem attendit, vixiſſe eò ſaniores, qui ſeſe ſubjecerant Legibus hoc ipſo Textu expreſſis, ab impuritatibus peccaminoſis remotiores, vixiſſe vitam honeſtam, ſocialem, DEO gratam. De Sanguine quouis extrauaſato, nemo non nouit, mox fermentari, putreſcere, mulieri eſſe oneri, viro præjudicio, utrique accerſere moleſtias & morbos, unde vel jure, ſeu inſtinctu Naturæ, Gentes non ſolùm moratiores, ſed quoque barbaras, videmus Legum heic præſcriptarum, ſaltem ex tanto, obſeruantes. Multa quidem circumferuntur de deleteria Menſtruorum qualitate, quæ plus in Imaginatione conſiſtunt, quàm in re. Sed ſunt alia, quibus fides negari non poteſt. Et ipſæ menſtruatæ non tractant facilè res fermentationi obnoxias. Audiamus *Plinium* L. VII. c. 15. *Nihil facile reperiatur mulierum profluuio magis monſtrificum. Aceſcunt ſuperuentu muſta, ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exuruntur hortorum germina, & fructus Arborum, quibus inſedere, decidunt. Speculorum fulgor aſpectu ipſo hebetatur, acies Ferri præſtringitur, eborisque nitor: aluei apum emoriuntur: Æs etiam ac Ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus; & in rabiem aguntur guſtatu Canes, atque inſanabili veneno morſus inficitur. Quin & bituminum ſequax alioquin ac lenta natura in Lacu Judææ, qui vocatur Aſphaltites certo tempore Anni ſupernatans, non quit ſibi auelli ad omnem contactum adhærens, præterquam filo, quod tale virus infecerit. Etiam Formicis, Animali minimo, ineſſe ſenſum ejus ferunt, abjicique guſtatas fruges, nec poſtea repeti.* Inde inprimis factum puto, quod Alpicolæ ad τυροποίησιν aliaque Lactaria opera non admittant niſi noſtri Sexus Homines remoto ſequiori.

TAB. CCLXXVII.

Leuit. Cap. XVII. verſ. 7.

Nec ultra ſacrificent ſacrificia ſua Satyris, (a) poſt quos ſcortati ſunt —

(a) Seirim piloſi ſunt & capri, quales Satyros fingunt: intelligit autem Dæmones, qui iſtis ſpeciebus illuſerunt Hominibus, & quos in ſyluis ac nemoribus coluerunt.

Et nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas dæmonibus cum quibus fornicati ſunt —

ESt vox שָׂעִיר *ſair*, P. שְׂעִירִים *ſeirim*, πολύσημος. In Hiſtoria Naturali notat ex piloſis Animalibus, ſeu pilis horridis (à שָׂעַר *ſaar*, *horrere*, *horreſcere*) *Hircum*. Hunc *Ægyptios* coluiſſe forte & Iſraelitas in caſtris, certum. En de Ægyptiis teſtimonia! *Herodot.* L. II. c. 46. Σέβονται δὲ πάντες τὰς αἶγας οἱ Μενδήσιοι, καὶ μᾶλλον τὰς ἔρσενας τῶν θηλέων. *Omnes autem Capras Mendeſii colunt, ſed mares plus quàm fœminas. Diodor.* L. I. p. 55. τὸν δὲ τράγον ἀπεθέωσαν, καθάπερ καὶ περὶ τοῖς ἕλλησι τετιμῆσθαι λέγεσι τὸν Πρίαπον, διὰ τὸ γεννητικὸν μόριον

Hircum autem deificarunt, ut apud Græcos Priapum coli dicunt, propter genitalem partem. Strabo L. XVII. *Mendes ubi Panem colunt & viuum Hircum.* Imo Μένδης, *Mendes* & Oppidum, & Hircum, & Pana ſignificat. Eò autem progreſſa fuit Ægyptiorum impuriſſima libido, ſeu Fornicatio, ut & Mulieres Hircis ſacris ſe ſubmiſerint. *Pindarus.*

Μένδητα παρὰ Κρημνὸν θαλάσσης,
Νεῖλε κέρας, αἰγίβατοι
Ὅθι τράγοι γυναιξὶ μίσγονται.

Quod *Pindari* teſtimonium allegant *Strabo* & *Ælianus Hiſt.* L. VII. c. 19. Et fuit *Herodotus* impuriſſimæ hujus commiſtionis αὐτόπτης. In Hieroglyphicis frequens admodum Hircinum caput vel baculo, vel Aræ impoſitum, Fig. A. Ita fuit *Aſima Emathitarum* ſiue *Samaritanorum* Idolum Hirci figurâ effigiatum, τραγολατρία ab Ægyptiis ad Gentem illam translatâ. *Kircher. Oedip. Ægypt.* I. p. 369. *Baccho* caper omnibus Aris cæditur, & Veteres ineunt proſcenia Ludi. Quin & *Venus* πανδήμιος Hirco inſidet, *Scopæ* ſtatuarii opus apud *Pauſaniam Eliac.* II. ἐπιτράγια hinc *Plutarcho* in *Parallelis* cognominata. *Capram Ægyptiacam* in Jaſpide ſiſtit *Leon. Agoſtino Gemm. antich.* 177. Fig. B. *Venerem marinam* in Lazuli Lapide Caprâ vectam Id. P. II. T. 19. *Capram Junoni* Sacram à Victimario Aræ adductam exhibet Fig. C. in Numo *Pomponiæ Familiæ. Capram Vejoui* Sacram Fig. D. cui puerulus inſidet, cum Dioſcurorum pileis in Familia *Fonteja.* Aſpici quoque meretur Fig. E. Numus *Lucretiæ* Familiæ, ubi caput Junonis Deæ caprotinæ pelle amictum, & ex auerſa Columna inter duas Capras, ſupra quam figura ſtans dextrâ haſtam. Sed & datur in *Indiæ* Montibus, in *Africa*, item intra *Sierram Lionam* & *Promontorium Montis* aliud Animal *Orang-Outang* dictum, cujus quoque memini in Eſaui Hiſtoria, quod cum *Faunis* illis *Satyrisque* Veterum magis conuenit, quàm *Hircus*, imo & cum Textu noſtro propter laſciuiam, deſcriptum amplius & depictum in *Tulpii Obſ. Med.* L. III. c. 56. qui & Loca Sacra, quibus τῶν שְׂעִירִים mentio fit, ei applicat. Sanè apud *Juuenalem Sat.* 15.

Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci.

Et in India Orientali *Simiarum* λατρείαν familiarem oſtendit *Andr. Bajerus* ad *Selden. de Diis Syris* p. 306.

Prohibet namque Legislator nomine שְׂעִירִים hirciformes omnes Imagines, quas colebant Ægyptii, *Panem*, quem pinxere τραγοπρόσωπον, καὶ τραγοσκέλεα, caprina facie, hircinis cruribus, ut legimus in *Herodoto: Jouem* Thebanum Κριοπρόσωπον arietina facie: *Anubin* caninâ: *Baſtin* ſiue *Dianam* felinâ. Hujusmodi Idola haud dubiè intellexerunt LXX. qui ita vertunt noſtrum Textum, ἐ θύσεσιν ἔτι τὰς θυσίας αὐτῶν τοῖς ματαίοις, vanis, i. e. Idolis, eſt ſanè nihil, εἴδωλον, εἴδωλον ἐν κόσμῳ I. Cor. VIII. 4. & Act. XIV. 15. ἀπὸ τῶν ματαίων ἐπιστρέφειν eſt, *conuerti ab Idolis.* Etiam 2. Par. XI. 5. in Græca Verſione legitur, Jeroboamum Sacerdotes excelſorum conſtituiſſe τοῖς εἰδώλοις καὶ τοῖς ματαίοις.

Imo & ſunt שְׂעִירִים ipſi *Dæmones*, culti in Idolis. Ita intelligunt Chaldæi, Syrus, Arabs uterque, *Hieronymus*, Hebræi omnes. Ita quoque Jeſ. XIII. 21. XXXIV. 14. Iidem ſunt *Aquilæ* τριχιῶντες. *Procopius.* τάτες δὲ Φασι τριχιῶντας Ἀκύλας ὠνόμασε, δηλῶν κάθυλον, καὶ ἐσκοτισμένον δαίμονα. Antiquiſſimis temporibus creditum, comparere Dæmones Hircorum ſpecie, & Satyrorum, & creditur adhuc, ſaltem à ſuperſtitioſo populo. Fortè & priſci Patres, ut Panum, Faunorum, Satyrorum cultum Neochriſtianis tantò confidentius diſſuaderent, Dæmonum eſſe illum eò fortius & frequentius inculcarunt.

Rectè proin שְׂעִירִים *Satyros* vertit Latina noſtra: ſiue intelligas naturales illos in India frequentes, proteruos adeò & ſalaces, ut mulieres ſaltus adeuntes haud rarò inſultent, ſiue Dæmones illorum forma apparentes. De illis legas apud *Plinium* L. VII. c. 3. *Animal* eſſe *quadrupes, in ſubſolanis Indorum montibus, perniciſſimum, humana effigie, ſed pedibus caprinis, toto corpore villoſum. Nihil habens moris humani, gaudens ſyluarum latebris, fugiens Hominum commercia.* In qua deſcriptione ſunt quidem nonnulla, quæ merentur correctionem.

TAB.

LEVITICI Cap. XIX. v. 19.
Ετεροζυγία prohibita.

III. Buch Mosis Cap. XIX. v. 19.
Ungleich-artige Vermischung.

I. A. Friderich sculp.

TAB. CCLXXVIII.

Leuit. Cap. XIX. verſ. 19.

—— Ne facias coire jumentum tuum mixtim, neque agrum tuum mixtim ſeras, veſteque ex Lana & Lino contexta (a) ne induaris.

(a) Non aſcendat ſuper te. Ebr.

Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non ſeres diuerſo ſemine. Veſte, quæ ex duobus texta eſt, non indueris.

QUodſi ad Literam intelligenda ſit hæc Lex, prohibita Judæis fuit Mulorum propagatio, Phaſeolorum & Braſſicæ in eadem Horti areola cultura, neque tolerari potuiſſet frequens hodie Pannorum ſemilaneorum & ſemilineorum fabrica. Hebræum כִּלְאַיִם *Cilhaim*, Græci vertunt ἑτεροζύγων, *alterijuge*, *Hieronymus alterius generis Animantia*, Arabs uterque *duas ſpecies:* noſtra Verſio *mixtim*, quæ Syriacæ congruit, ſi nimirum duæ ſpecies in coitu miſceantur. Ita occurrit apud *Virgilium* L. VII. *Æneid.*

Miſta Deo mulier —

Apud Judæos vapulabat non ſolùm, qui duplicis generis Animalia, ſeu domeſtica, ſeu fera, commiſit, ſed qui duntaxat prouocauit marem ad conſcendendam fœminam. Qui tamen videbat, in eodem ſtabulo, quo licebat ſimul claudere heterogenea, ea concumbere, non tenebatur illa ſeparare. Si mundus fuit uterque parens, licitus erat progeniti eſus. Applicatiua erat Lex non ſolùm ad ſpecies, ſed & ad Genera. Sic ex Canino non licebat Lupum miſcere cum Cane, ex Caprino Capreæ marem cum Capra, Equum cum Mula, Mulum cum Aſina, Aſinum cum Onagro. Sed quidem in eadem ſpecie licuit Bouem domeſticum committere cum fero. Plura & alia hujus generis habet R. *Moſes* in Tract. *Cilaim* c. 9. *Maimonides* Libri *Jad.* Tom. III. f. 72. 73. R. *Iſaac* in *Ammude gola* c. 163. *Philo Lib. de ſpecialibus Legibus*, qui inter alia. τέλειον ἀδεὲς, &c. *Hircum nullus paſtor Judæus ſinet in ouem ſcandere, neque Bouem in Equam: aut ſi fecerit, dabit pœnas. — Mulos jumentis omnibus quidam præferunt, quod benè compacta neruoſaque habeant corpora. Et in Equorum paſcuis ſtabulisque Aſinos prægrandes alunt, quos Celones, id eſt, admiſſarios vocant, ut Equas ineant. Illæ autem mixtum Animal, mulum ſcilicet, pariunt, cujus geniturам Naturæ contrariam eſſe cum ſciret Moſes, penitus interdixit.* Falluntur proin *Liranus*, *Cajetanus*, alii, qui Interdictum hoc ad literam intelligi negant.

De cauſis & ſcopo Mandati hujus prohibitorii non eadem omnibus mens eſt. Ad τὸ παρὰ φύσιν prouocat *Philo*, quæ expreſſio ambiguitate ſua haud caret. Si intelligas, præter ordinarium Naturæ morem ac conſuetudinem, admitti poteſt. Sunt quippe raræ ambigenæ commixtiones; nec frequentiores quàm inter Equos & Aſinas. Si dixeris, tranſcendere prorſus Naturæ ordinem, altè nimis euolas. Nam & hujus generis Generationes ſubſunt Naturæ Legibus, à DEO in Mundum introductis. Et conſequentiam nimiùm extendit R. *Menachem* in Leuit. tantùm non læſæ Majeſtatis reos pronuntians eos, qui hujusmodi commiſtiones admittunt. *Si quis heterogeneorum generationem procurat, idem eſt ac ſi crederet, DEUM ſanctum benedictum non perfeciſſe quidquid neceſſe eſt, adeoque plures vellet Creaturas addere, atque ipſi adeſſe in Mundi Creatione. — Qui mutat ſpecies, & miſcet heterogenea, Regii Numismatis typum adulterat.*

Morales cauſas, imo myſticas & Typicas, producunt alii. Deterreri Homines à promiſcuo & illicito concubitu; ὁμιλίᾳ ἐκνόμῳ vel ἐκθέσμῳ, juxta *Philonem*, παρανόμῃ μίξει, illegitima commixtione, juxta *Theodoretum Qu.* 27. *in Lev.* etiam fidelium cum infidelibus. Ita Apoſtolus 2. Cor. VI. 14. μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις. *Heſychius*, ne Circumciſionem ſimul & Baptiſma ſectentur fideles. Allegorias alias formant alii, nam ἀλληγορήσεις nullus eſt Allegoriarum finis.

Prætendit *Spencer Leg. Moſ. Ritual.* L. II. c. 20. vetari duntaxat hac Lege Judæis conjunctionem Aſinini & buceri generis in Agricultura, uti Deut. XXII. 10. *Non arabis cum Boue & Aſino ſimul.* Sed & cultum Veneris & Priapi, omne genus inhoneſti, Dæmonis cultum, Idololatrarum morem, qui ſoliti fuerint ſub certis conſtellationibus conjungere Animalia diuerſorum generum. Refutat eum *Clericus Comm. in Lev.* qui Symbolica hac Lege vetari vult nefandos concubitus, & connu-

bia cum Idololatris, & objectiones, quæ contra explicationem hanc produci poſſent, diluit. Sed vidimus ſupra, non merè fuiſſe ſymbolicam hanc Legem, ſed quoque ad Literam debuiſſe obſeruari.

Neque agrum tuum mixtim ſeras. Sunt heic rurſus Phyſicorum qualescunque rationes friuolæ nimis, quàm ut ſatisfacere queant ex omni parte. Sunt equidem Plantæ, quæ in eodem ſolo juxta inuicem cultæ non lætè creſcunt, ut una alteram antipathico velut odio deſtruat: Sunt è contra aliæ, quæ velut ſympathico amore fauſto omine ſurgunt ſociæ. Braſſicam ſanè non in conſortio fert Vitis, quia illa ob pororum laxitatem omne huic alimentum ſurripit. Et adeò ſæpe ſcrupuloſi ſunt noſtrates, ut non ſolùm Braſſicam, ſed quoque Phaſeolos, Piſa, Olera alia & Legumina vineis excludant. Sed multum hac in re pendet à ſoli bonitate: ubi præpingue id eſt, vel etiam fimo probè ſaturatum, nil impedit, quò minus inter Vites aliæ Plantæ coli poſſint: id eſt, quod videre licet in Valle Tellina, Italia, Prouincia, Linguedocia. Opponit heic rurſus *Spencerus* hanc Legem conſuetudini Idololatrarum, qui Semina miſta Numinibus variis conſecrarint, uberiores inde ſegetes expectantes. Ita dicuntur *Zabii* ſeuiſſe ſimul *Hordeum* & *Uuas paſſas*, fortè in honorem *Cereris* & *Bacchi*. v. *Maimonid. More Neuoch.* P. III. c. 37. Sed idem fortè absque ſuperſtitione fecere Zabii, quod hodie faciunt Galli & Itali. Propterea recurrit heic rurſus *Clericus* ad ſignificationem ſymbolicam, commercii euitationem cum alienigenis Idololatris.

Minus adhuc inuenit quod dicat Philoſophia Naturalis *de veſte ex Lana & Lino contexta* שַׁעַטְנֵז *Schaatnez*, nempe *ex Lana & Lino ſimul*, ut explicat Moſes Deut. XXII. 11. cujus nempe ſtamen ſit lineum, ſubtegmen laneum, vel vice verſa. Vertunt LXX. Κίβδηλον, quod propriè notat Numum ſubæratum, ubi Æs argenteâ lamina eſt tectum. *Quæ res* (inquit *Clericus* in *Comm.*) *per ſe neque laudis neque vituperii capax eſt, ſed etiam ex uſu Pontificis maximi, qui Veſtes ex Lana, Lino & Auro miſtas gerebat.* Hinc de hac noſtra Lege ita *Joſephus* L. IV. c. 8. μηδεὶς δ' ἐξ ὑμῶν κλωσὴν ἐξ ἐρίου καὶ λίνου στολὴν φορείτω, τοῖς γὰρ ἱερεῦσι μόνοις ταύτην ἀποδεδείχθαι. *Nemo ex vobis textam ex Lana & Lino ſtolam gerat, Solis enim Sacerdotibus eſt conceſſa.*

Hanc Materiam non ante dimitto, quàm Lectori notam reddam *Theodori Batti Diſſertationem de modis ſeminandi diuerſa Semina Hebræorum veterum ad illuſtranda commata Leuit.* XIX. 19. *Deut.* XXII. 9. Præſ. *Theod. Daſſouio* Witemb. 1695. 4. imò & ſuccum extraham. Diſpeſcebant Judæi *ſemina* in tres præcipue Claſſes. 1. *Tebhua*, *ſemina prouentus*, Tritici, Speltæ, Hordei, Auenæ, Secalis, verbo, Frumentorum. 2. Semina *Leguminum*, Phaſeoli, Piſi, Lentium, Oryzæ, Milii, Cicerum, Papaueris; ubi notandum, Oryzam & Milium potiori jure potuiſſe adjici primæ Claſſi, Papauer tertiæ. 3. Semina *Hortenſium*, Cepæ, Porri, Allii, Fœniculi, Rapi. כִּלְאַיִם vocabant, ubi vel diuerſarum Claſſium ſemina mixtim fuerunt Terræ tradita, vel non in diſtantia ſufficienti locata, ut una Planta alteri potuerit alimentum ſubtrahere. Si fortè caſu Semina fuere inuicem mixta, debebat unum genus ab altero ſeparari, ut illius vix remanſerit $\frac{1}{24}$. Hoc ſi effectui fuit datum, liberabat Hominem à transgreſſione Legis. Sed quoque attendi debebat certa & ſufficiens Seminum diuerſi generis ab inuicem diſtantia, in Agro 10. ulnarum undique, in Horto 6. Palmorum. Nec poterat ſeries Cucumerum poni juxta ſeriem Cucurbitarum, ſed debebant poni binæ Cucumerum ſeries, ac Cucurbitas inter & Cucumeres foſſula duci. Patebit id luculentius ex adjectis figuris.

TAB. CCLXXIX.

Fig. A. Primus modus ex licitis, quo exhibentur 4. genera Seminum in ambitu, & quintum in medio.

Fig. B. Secundus exhibet nouem diuerſa Seminum genera, quorum ſingula ab inuicem diſtant $1\frac{1}{2}$. palmo.

Fig. C. Tertius, quo 13. ſiſtuntur Semina, ſingula $1\frac{1}{2}$. palmi diſtantiâ.

Fig. D. Quartus ex licitis, qui oſtendit 18. diuerſa ſemina, ſingula $1\frac{1}{2}$. palmi diſtantiâ.

Fig. E. Primus modus ex illicitis, Cilajim, ſi duo Seminum genera ſibi inuicem prope nimis erant adſita, commutandus facile in licitum per intermediam foſſulam.

Fig. F. Secundus repræſentat 5. diuerſa Semina, ultra lineam protenſa.

Fig. G. Tertius viſui offert 9. diuerſa Semina non $1\frac{1}{2}$. palmum ab inuicem diſtantia.

Fig. H. Quartus ex prohibitis, rurſus ſiſtit 9. diuerſa Semina ſpatio 28. Palmorum quadratorum Terræ condita, quæ juxta Legem includi debebant 27.

TAB.



LEVITICI Cap. XIX. v. 19.
Σποφος licitus et prohibitus.

III. Buch Mosis Cap. XIX. v. 19.
Erlaubtes und verbottenes Saen.

I. Stridbeck sculps.

LEVITICI Cap. XIX. v. 35. 36.
Suum cuique.

III Buch Mosis Cap. XIX. v. 35. 36.
Einem jeden das Seine.

I. A. Friderich sculp.

LEVITICI Cap. XXI. v. 18. 19. 20.
Sacerdotii incapaces.

III. Buch Mosis Cap. XXI. v. 18. 19. 20.
Untüchtige Priester.

C. Sperlingin sculp.

TAB. CCLXXX.

Leuit. Cap. XIX. verſ. 35. 36.

35. Ne feceritis quidpiam iniqui in judicio, in dimenſione, in pondere, & in menſura.
36. Bilanx juſta, Lapides juſti, Epha juſtum, & Hin juſtum ſit vobis. —

35. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in menſura.
36. Statera juſta, & æqua ſint pondera, juſtus modius, æquusque ſextarius: —

PRæcipit id DEUS, qui omnia fecit in Mundo certo Pondere, Numero, Menſura, & hoc ipſo ordine conſeruat, ut pro conſeruatione Societatis ſit certa in Commerciis norma, ſicque in emptione, venditione, permutatione, contractu omni cuilibet adjudicetur, quod ſuum eſt: Societas humana formatur ita ad regulam Rei illius publicæ totius Mundi. Ingreditur talis modi conſtitutio pomœria ipſius Juris Naturæ, ut vix offendas barbaram Gentem, quæ illa careat. Eſt מִדָּה *middah*, dimenſio, menſio, menſuratio, quæ fit pede, ulnâ, palmo, Geometriæ objectum: ſic menſurare ſolemus Agros Pannos, Lineas, Superficies, Corpora: מִשְׁקָל *miſchkal* pondus, pro examine rerum grauium: מְשׂוּרָה *meſurah* menſura caua tum pro ſiccis, tum pro fluidis, quâ metiri ſolemus Liquores, Vinum, Oleum, Frumentum, Legumina. Sunt hi termini generales, ſpeciales ſunt אֲבָנִים *abanim*, quæ vox propriè notat *Lapides*, forſan quòd cæſis Lapidibus ponderum loco uterentur. Eodem ſenſu nos ponderum exemplaria vocamus *Stein*, *Pfund-Stein*, *Lapides* quoque habet Latina, *Pfund* vernacula noſtra. Sequuntur הִין *Hin* & אֵיפָה *Epha* menſuræ binæ determinatæ magnitudinis, prior pro fluidis, poſterior pro aridis, de quibus alibi.

TAB. CCLXXXI.

Leuit. Cap. XXI. verſ. 18. 19. 20.

18. Quicunque vitium habuerit, non debet appropinquare, ſi videlicet ſit cœcus, aut claudus, aut Naſum habens depreſſum, aut ſi monſtroſus ſit membris.
19. Aut qui contritum habet Pedem, aut Manum confractam.
20. Aut gibboſus (a), aut minutus (b), aut vitiato oculo, qui ſcabiem habet purulentam, aut aridam mordicantem, aut qui eſt teſticulo obligato. (c)

(a) Pro gibboſo quidam legunt, qui habet ſupercilia coeuntia. Gab enim ſupercilium ſignificat etiam.
(b) Pro Dak minuto quidam legunt pellem in oculo habens.
(c) Hernioſi aut rupti obligatos habent teſticulos.

18. Nec accedet ad miniſterium ejus: ſi cœcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo vel grandi vel torto naſo.
19. Si fracto pede, ſi manu.
20. Si gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi jugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel hernioſus.

COnueniebat inprimis Cultui Veteris Teſtamenti, ut mundities externa in rebus ipſis, ita grauitas in perſonis adminiſtrantibus, ne fortè horum vitio caderet in deſpectum ipſe Cultus divinus. Solet autem inprimis Plebs pro imaginario ſuo conceptu affici magis rebus, quæ in oculos incurrunt, quàm interna rei ipſius eſſentia. Hinc eſt, quod adhuc obtineant Leges non ſolùm circa pretioſum ornatum, ſed & Sacerdotum ac Monachorum ſanam conſtitutionem, à deformitate etiam alienam in Eccleſia Romano-Catholica. Imo verò offendimus hujus generis Ritus & Præcepta apud Gentes. Apud *Athenienſes* Lex fuit, θαλλοφόρες τῇ Ἀθηνᾷ τὲς καλὲς γέροντας ἐκλέγεσθαι, *Senes Mineruæ Oleæ ramum Panathenæis geſtantes formoſos eligi.* Extat ea in *Xenophontis Sympoſio.* Alia Lex Sacerdotes integro corpore eſſe volebat. Auctor *Etymologici Magni* voce ἀφελὴς. ὁ ὑγιὴς τὸ σῶμα καὶ ὁλόκληρος. ἅτω παρὰ Ἀθηναίοις. *Sanus corpore & integer. Sic apud Athenienſes.* Deinde, οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ ἱερεῖς ἐδοκιμάζοντο Ἀθήνηθεν, εἰ ἀφελεῖς καὶ ὁλόκληροι. *Reges* (Sacrorum cauſa creati) *& Sacerdotes examinabantur Athenis: num ſani eſſent & integro corpore.* Exin lucem accendit *Clericus Joſepho* L. III. c. 10. ubi ait, DEUM juſſiſſe *Sacerdotes* ἀφελεῖς εἶναι πᾶσαν ἀφέλειαν, *ſano prorſus corpore eſſe*, quibus opponit τὲς μὴ ὁλοκλήρες. Et ſanè videtur Lex ipſa Naturæ præſcribere integritatem Corporis, ne deſpectui ſit ipſius cultus ſacri externa deformitas.

Sed videamus ſingillatim vitia illa Corporis, quæ Virum excludebant à Sacerdotio; quæ quidem aliàs non omnia ex æquo videntur excluſiuam dare: ſanè jure potiori arcetur עִוֵּר *Iuuer* quàm פִּסֵּחַ *piſſeach, cœcus* quàm *claudus*, quia ille priuatur beneficio Senſus ad functiones obeundas abſolute neceſſarii, hic non eſt niſi deformis. חָרֵם *Charym*, LXX. vertunt Κολοβόριν, Vulgata *naſo paruo vel grandi*, Nos *Naſum habens depreſſum*, *Clericus Naſo mutilum*, Talmudici ſimum, hinc Romanis *Simia* à *Simitate*. Hebrææ voci affinis eſt Græca ἄριμος; *Heſychius* ἄριμος, πίθηκος. Quod vocabulum à Tuſcis deriuat *Strabo* L. XIII. τὲς πιθήκας Φασὶ παρὰ τοῖς τυῤῥηνοῖς ἀρίμας καλεῖσθαι. *Onkelos* habet חָרֵים. Κολόβοριν, τῶν LXX. manifeſtè notat narem mutilum, κολώβωμα τὲ ῥινός. שָׂרוּעַ *Sarua* LXX. ὠτότμητος, i. q. *aurem ſectam habens.* Vulgata, *torto naſo. Jonathan, cui luxatum eſt Femur. Clericus*, aliqua redundantia inſignis, quod ipſi videatur opponi voci חָרֵם, & quia varia deriuata Arabicæ radicis שרע res prælongas denotent, ut proin pertineat tum hæc vox, tum præcedens non ad Membrum aliquod ſpeciale, ſed in genere ad membra corporis vel exceſſu vel defectu deformia. Sic ſentit quoque utraque Tigurina de voce שָׂרוּעַ quam reddit, *monſtroſus membris, Glieder die ſich nicht ſchiken.* Etiam *Bocharto Hieroz.* P. I. L. II. c. 46. ubi recenſet Ouium vitia, שָׂרוּעַ eſt Animal, cùm è partibus, quæ geminæ ſunt una eſt alterâ longior & extenſior.

v. 19. Excluſis accenſetur, qui *contritum habet pedem*, aut *manum confractam.* Exiſtimauerim heic, non tam intelligi Fracturam ſimplicem benè reſtitutam, & callo mediante ita ſolidatam, ut corporis inde nihil decedat vel formoſitati, vel robori: ſed Fracturam talem, quæ facta fuit cum contuſione, & ſubſequam habuit deformitatem, vel membri diſtortum ſitum, vel decurtationem, vel Fiſtulas, vel Cariem: hinc emphatica magis mihi videtur noſtra utraque Verſio, quæ habet *contritum pedem, manum confractam, einen zerbrochenen Fuß oder Hand*, quàm *Clerici*, qui ſimpliciter habet *Pedem fractum*, aut *manum fractam.*

Reliqua Vitia recenſentur v. 20. גִּבֵּן *gibben*, LXX. Κυρτὸς, Vulgata *gibbus.* Onkelos גִּבִּין *gibin*, Samaritanis גִּבִּי *gebi.* Obſcura eſt Chaldæorum quorundam Paraphraſis, *cujus palpebræ tegunt oculos.* Stamus pro *Gibboſitate*, vitio, quod incurrit in oculos, deſpectui exponit Hominem, imo gibboſo ipſi multum demit de ſuis viribus, ad cultum Leuiticum neceſſariis, ſæpe etiam Reſpirationem reddit difficilem. דַּק *dak* LXX. ἔφηλος, qui ἐφηλίδας, *maculas habet in facie*, Vulgata *Lippus*, quaſi legiſſet רַק *rak.* Onkelos דוקא Samar. נניס *nanus.* Chaldæi nonnulli, *cui non ſunt pili in palpebris.* Sed propriè דַּק notat *minutum*, quo Vocabulo utitur quoque Latina, aliis *tenuem & macilentum*, ut intelligitur Homo tantæ gracilitatis, quam propter deformis ſit, aut infirmus viribus. Ita ſumit *Clericus*, & Vernacula noſtra exprimit per vocem *rahn.* Starem ego potius pro *nano*, pygmæo, exiguæ ſtaturæ Homine, graciles ſanè & macilenti, ſi cætera benè ſint conſtituti, non recenſentur inter deformes, & functiones ſuas faciliùs longè obeunt, quàm obeſi, ventricoſi.

Sequitur תְּבַלֻּל בְּעֵינוֹ *theballyl beeno*, LXX. Πτίλος τὲς ὀφθαλμὲς, *Hieron. albuginem habens in oculo*, noſtræ verſiones, *vitiato oculo, der ein Fell auf dem Aug hat*, Onkelos חִילִיז *Chiliz*, alii Chaldæi חילזין *Chilzin ſuffuſionem* interpretantur. A Chaldaico forſan eſt Græcorum χάλαζα, χαλάζιον, quod *Ægineta* definit ἄργε ὑγρᾶ σύςασιν κατὰ τὸ βλέφαρον, *concretionem lenti aut albi humoris in palpebra: Galenus* in *Definitionibus* περιφκῆ τινα ἔνδοθεν τᾶ βλεφάρε ἐπάρματα γεγραμμένα, ἐοικότα τῇ χαλάζῃ, *rotunda quædam tubercula in interiori parte palpebræ impreſſa, Grandini ſimilia. Celſus vitium in Palpebris, quod digito mobile huc vel illuc impellitur, non diſſimile illi, quem κριθὴν vocant.* Intelligendum putem non tam ſpecialem hunc Morbum χάλαζα dictum, qui non incurrit in Oculos, niſi palpebra inuerſa, ſed potius *Albuginem* ipſam, aut etiam *Catarrhactam*, quæ quidem non tam offendit viſum aſpicientis, quam officit functionibus obeundis, imò oculum reddit cœcum.

LEVITICI Cap. XXII. v. 22. 23. 24.
Sacrificia rejicula.

III. Buch Mosis Cap. XXII. v. 22. 23. 24.
Verwerfliche Opfer.

I. A. Fridrich sculps.

גָּרָב *garabh* LXX. ψώρα ἀγρία, Vulgata *jugem habens Scabiem*, *Onkelos* גַּרְבּוֹן *garbon*: *Jonathanis* paraphraſis, *qui plenus eſt ſcabie ſicca*: Nobis, *qui ſcabiem habet purulentam*. Intelligitur, quantum quidem videtur, *Scabies humida*, in puſtulas pure plenas eleuata, *eine flieſſende Raud*, qui Morbus neceſſariò à puriſſimo illo cultu excludebat eo affectos: Uti quoque affinis huic יַלֶּפֶת *jallepheth*, LXX. λειχὴν, Vulgata *Impetigo*, nempe *Ægyptiaca* illa, de qua *Plinius* L. XXVI. c. 1. *Grauiſſimum ex his Lichenas appellauere, Græco nomine: Latinè, quoniam à mento fere oriebatur, joculari primùm laſciuia, mox & uſurpato vocabulo mentagram: occupantem in multis totos undique vultus, oculis tantùm immunibus, deſcendentem verò & in colla, pectusque ac manus, fœdo cutis furfure. Impetiginis* quatuor recenſet ſpecies *Celſus* L. V. c. 28. unam alterâ pejorem, quas nunc ſpecialius deſcribere non vacat. Latina noſtra habet pro יַלֶּפֶת *ſcabiem aridam mordicantem*, vernacula pro גָּרָב & יַלֶּפֶת, *der eine dürre oder grüne flieſſende Raud hat*, quæ videtur per priorem exprimere *Scabiem ſiccam*, nobis *der Mager* dictam, per poſteriorem *humidam*.

Agmen claudit מְרוֹחַ אָשֶׁךְ *meroach aſchech*, LXX. μονόρχις, Vulgata *herniosus*, nobis, *qui eſt teſticulo obligato, der gebrochen iſt*. Videtur ſanè intelligi *Herniosus*, ille in ſpecie, qui *Herniâ* laborat *inteſtinali* in Scrotum deſcendente, vel etiam ἐπιπλοκήλη: Imò & huc trahi poteſt ὀμφαλοκήλη, *Hernia* item *ſeminalis* & *carnoſa*; qui Morbi omnes abſcondi quidem poterant ſub Veſte Sacerdotali, ſed tamen impedimento fuere in functionibus ſacris.

TAB. CCLXXXII.

Leuit. Cap. XXII. verſ. 22. 23. 24.

22. Cœcum aut confractum, aut Labiis ſciſſum, aut verrucoſum, quod Scabiem habet purulentam, aut Impetiginem, iſta ne offeratis DOMINO, nec ignitum ſacrificium ponetis de illis ſuper Aram DOMINI.

22. Si cœcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem: non offeretis ea DOMINO, nec adolebitis ex eis ſuper altare DOMINI.

23. Bouem aut Pecudem enormibus aut contractis membris facere poteris pro voluntario dono, at pro voto non erit acceptum.

23. Bouem & Ouem, aure & cauda amputatis, voluntarie offerre potes, votum autem ex iis ſolui non poteſt.

24. Quod impulſu fractum eſt, aut contuſum, aut ruptum, aut exectum, ne ſacrificetis DOMINO, & in Terra veſtra ne feceritis.

24. Omne animal, quod vel contritis, vel tuſis, vel ſectis, ablatisque teſticulis eſt, non offeretis DOMINO, & in terra veſtra hoc omnino ne faciatis.

INſinuant tres proximè præcedentes Verſiculi 19. 20. 21. in ſacrificium offerri debere, quæ ſunt τέλεια, ſine Vitio: imo ſuadet Ratio, DEO grata eſſe non poſſe, quæ nobis ſunt abjecta. Etiam Gentium hæc fuit attentio. *Herodoto* teſte L. II. c. 37. & 38. *apud Ægyptios* debebat Sacerdos *inſpicere, pecude cum ſtante & erecta, tum etiam reſupinata, Linguâ item exerta, an pura eſſet*, καὶ ὀρθῦ ἑστεῶτος καὶ κτηνέος, καὶ ὑπτίου, καὶ τὴν γλῶσσαν ἐξαρύσας, εἰ καθαρή. Sic apud *Athenienſes* debebant Victimæ ἐκκρίνεσθαι, unde ἐκκρίτων ἱερείων, *delectarum hoſtiarum* meminit in Axonibus *Solon* apud *Plutarchum* in ejus *vita*. p. 91. Et bonæ victimæ κριτήρια ordine recenſet *Pollux Onomaſt.* L. I. c. 1. τὰ δὲ προσακτέα θύματα, ἱερεῖα, ἄρτια, ἄτομα, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἄπηρα, παμμελῆ, ἀρτιμεμῆ, μὴ κολαβὰ, μηδὲ ἔμπηρα, μηδὲ ἠκρωτηριασμένα, μηδὲ διάστροφα. Σόλων δὲ τὰ μὴ ἔμπηρα καὶ ἀφηλῆ ὠνόμασε. *Homerus Iliad.* A. v. 66. Capras Apollini mactandas vocat τελείας. Ubi Scholiaſtes. τὴν ἡλικίαν ἤτοι ὁλοκλήρων, λελωβημένον γὰρ οὐ θύεται, ἀλλ' ὑγιὴς ἡ τῶν τελουμένων θυσία, *ætate aut membris, nam vitio laborans non mactatur, ſed ſana eſt ſacra rite facientium victima*. Hæc *Clericus* in *Comm.*

Ut autem ſcirent Judæi, qualia nam vitia Animal ab Aris excludant, enumerat ea diſtincte Moſes ex dictato Legislatoris Supremi. Ea videbimus ordine. 1. עִוֵּרֶת *auuæreth*, *cœcum* ſeu etiam *cocles*, utrumque enim vox illa vult. 2. שָׁבוּר *ſchabur*, *fractum*, ſcilicet in Femore aut Crure. 3. חָרוּץ *charuz*, *mutilum*, LXX. γλωσσότμητον, Vulg. *cicatricem habens; Jonathan*, *quibus palpebræ aut oculi contuſi ſunt. Ferrarienſes tajado*, i. e. mutilum. Noſtra Latina *labiis ſciſſum*, vernacula *wund*, quæ ab inuicem differunt, ut Genus à ſpecie. Optima eſt, quæ dat *mutilum* à חָרַץ *charats*, *abſcindere*, ut indicetur Animal, cui pars quædam corpore eſt reſecta, ut e. g. cauda. Sic Athenis κολόεσσ victimas mactare fuit nefas. *Ariſtophanes* in *Acharnenſibus*. v. 784.

Δ. Ἀλλ' ἐδὲ θυσιμὸς ἐσιν αὐτηὶ. Μ. Σαμὰν, Πᾶδ' ἐχὶ θυσιμὸς ἐσι; Δ. Κέρκον ἐκ ἔχει.

D. Verùm hæc ſacrificari nequit. M. Cedo, Qui ſacrificari nequeat? D. Caudam non habet.

4. יַבֶּלֶת *jabbælæth*, LXX. μυρμηκιῶντα. Eſt autem μυρμηκία, *Myrmecia*, Verrucæ ſpecies, quam ita deſcribit *Celſus* L. V. c. 28. *Myrmecia vocantur humiliores* (Verrucæ) *thymio*, *duriores*que: *quæ radices altius exigunt*, *majoremque dolorem mouent*, *infra lata*, *ſupra autem tenuia minus Sanguinis mittunt: magnitudine* vix unquam Lupini modum excedunt. *Onkelos* יַבְלָן *jablan*. Samaritanus חַבְלִי *chabli*. *Jonathan*, *cujus oculi percuſſi ſunt*, *miſto albo cum nigro*. Vulgata, *papulas habens*, quæ ſunt ψυδράκια. Plerisque & optimis Interpretibus placent *Verrucæ*. Sic & noſtræ Verſiones, *verrucoſum*, *voller Wartzen*. 5. גָּרָב *garabb* eſt *ſcabies*, de qua ad Lev. XXI. 19. 6. יַלֶּפֶת *jallepheth*, ibidem memorata, eſt *Impetigo*, λειχὴν. *Porriginem* reddit *Bochart Hieroz.* P. I. L. II. c. 46. ex *Auicenna* L. IV. *Fen.* 7. *Tract.* 2. capp. 24. 25. quæ Græcis eſt πιτυρίασις, *furfures*, *tinea*: Sic & Vernacula noſtra, *grindig*, pro Impetigine.

7. שָׂרוּעַ *Sarua*, Animal *enormibus Membris*, *das ungleiche Glieder hat*. Ita Nos, ſed minus concordes nobiscum: Latina exceſſiuam vult magnitudinem, vel, quod alii interpretantur, *ſuperfluum*: hæc intelligi poteſt de defectu æquè ac de exceſſu. Excuſari tamen poſſumus ex Idea de Relatione. v. Leuit. XXI. 18. 8. קָלוּט *Kalut*, LXX. Κολοβόκερκον, *abſciſſâ caudâ*, vel generatim, quum una pars breuior eſt & contractior. Sic & noſtræ Verſiones, quod *contractis eſt membris*, *das zu kleine Glieder hat*. De hac voce plura *Bochartus* l. c. qui obſeruat, *Kalaſſa* Arabibus dici *Canes Melitenſes*.

v. 24. memorantur וְכָרוּת וּמָעוּךְ וְכָתוּת וְנָתוּק LXX. habent θλαδίαν καὶ ἐκτεθλιμμένον, καὶ ἐντομίαν, καὶ ἀνεσπασμένον. Vulgata, *contritis*, *vel tuſis*, *vel ſectis ablatisque teſticulis*. Nos, *quod impulſu fractum eſt*, *aut contuſum*, *aut ruptum*, *aut exectum: Zerſtoſſenes*, *oder Zertruktes*, *oder Zerriſſenes*, *oder Aufgeſchnittenes*. His quatuor expreſſionibus excluditur, verbo, Animal caſtratum, imo indicatur ipſe caſtrandi modus. Græcis proprie מָעוּךְ *mauk*, *compreſſus* eſt θλιβίας, כָּתוּת *cathuth*, *contuſus*, θλαδίας, vel θλασίας, נָתוּק *nathuk*, *auulſus*, σπάδων, כָּרוּת *caruth*, *exciſus*, τομίας, ἐκτομίας. Nos in vernacula loco *aufgeſchnittenes*, commodius diceremus *verſchnittenes*. Illis autem quatuor modis caſtrari ſolent *Agni*, ut fiant *Verueces*, quod ex *Ariſtotele* & *Columella* patet. Sunt qui cum *Jonathane* & *Joſepho* verba ultima, *hoc in Terra veſtra ne feceritis*, ita interpretantur, ut Iſraelitis *caſtratio* omnis fuerit prohibita. Ita hic *Ant.* IV. c. 8. μὴ ἐξεῖναι ποιεῖν ἐκτομίας μήτε ἀνθρώπε, μήτε τῶν ἄλλων ζώων, *caſtrare nec Homines liceat*, *nec ullum aliud Animal*.

LEVITICI cap. XXIII. v. 10.
Primitiæ frugum.

III. Buch Mosis Cap. XXIII. v. 10.
Erstling-Opfer.

I. Stridbeck sculps.

LEVITICI Cap. XXIII. v. 40.
Δενδροφορίαι Iudæorum.

III. Buch Mosis Cap. XXIII. v. 40.
Jüdisches Laubhütten-Fest.

I. A. Fridrich sculps.

TAB. CCLXXXIII.

Leuit. Cap. XXIII. verſ. 10.

— Quum veneritis in Terram, quam ego do vobis, & meſſueritis meſſem ejus, inferetis Gomer de primitiuis fructibus Meſſis veſtræ ad Sacerdotem.

— Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem.

ESt oblatio primitiarum de Frugibus in gratum Diis ſacrificium Ritus ſine dubio antiquiſſimus, & forſan cum Ratione ipſa natus, quæ gratam pro beneficiis ſeruat memoriam. Sanè *Clericus* in *Comm. hunc morem neque Hebræos Ægyptiis, neque Ægyptios Hebræis acceptum referre debuiſſe credit, ſed utrosque progenitoribus ſuis:* Quicquid ſit, habemus heic expreſſam Summi DEI Legem, omnibus aliis & ritibus & Legibus anteferendam. Modum, quo oblatus fuerit *Gomer*, ſcilicet *Hordei*, nam hæc prima fuit Meſſis, & tempore *Joſephi*, ipſe deſcribit *Ant.* L. III. c. 10. Φρύξαντες τῶν ϛαχύων, &c. *poſtquam manipulum ſpicarum torruerunt, & pinſuerunt, aceribusque & glumis repurgarunt, Aſſaronem* (ἀσσάρωνα, i. e. Gomerum) *ad Altare DEO offerunt. Tum pugillum unum ex eo injicientes reliquum Sacerdotibus in uſum concedunt, & deinceps publicè & priuatim omnibus licet metere.* Apud *Ægyptios* frugum primitiæ conſecrabantur *Iſidi* ab antiquis temporibus, teſte *Diodoro Bibl.* L. I. p. 13. & ſuo æuo, ἔτι γὰρ καὶ νῦν κατὰ τὸν θερισμὸν τὰς πρώτας ἀμηθέντας ϛάχυς θέντας τὰς ἀνθρώπας κόπτεσθαι πλησίον τᾶ δράγματος, καὶ τὴν Ἶσιν ἀνακαλεῖσθαι. *Nam etiamnum hodie Meſſis tempore homines oblatis primis ſpicis demeſſis, juxta manipulos plangere, & Iſidem inuocare.* Et videt nemo non, vel in hoc ſolo conſtitiſſe ditiſſimos Sacerdotum reditus. Teſtem habemus *Philonem Lib. de Præmiis Sacerdotum*, ubi, expoſitâ Lege de Primitiis, πολυανθρωποτάτε τᾶ δὲ ἔθνες ἀναγκαῖον ἐϛὶ καὶ τὰς ἀπάρχας ἀφθόνες, ὡς καὶ τὸν ἀπωρώτατον τῶν ἱερέων, ἕνεκα πεϱιϱϱισίας τϱοφῶν, εὐποϱώτατον δοκεῖν εἶναι, *cum populoſiſſima ſit Gens, neceſſe eſt Primitias quoque multas eſſe, adeò ut pauperrimus etiam Sacerdotum ob alimentorum copiam ditiſſimus eſſe videatur.*

TAB. CCLXXXIV.

Leuit. Cap. XXIII. verſ. 40.

Die primo accipite vobis fructum Ligni ſpecioſi, ramos Palmarum, & ramos Arboris denſæ, & Salices torrentis, lætabiminique coram DOMINO DEO veſtro ſeptem dies.

Ebr. manus pro frondibus aut ramis.

Sumetisque vobis de primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpathalasque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro.

DIe primo, id eſt, ante diem primum (nam ille erat feriatus) Feſti Tabernaculorum jubebantur Iſraelitæ accipere פְּרִי עֵץ הָדָר *pri ets hadar*, LXX. Καρπὸν ξύλε ὡραίε, fructum arboris pulcherrimæ, nobis *fructum Ligni ſpecioſi*, ſcilicet de Arboribus præſtantiſſimis, & geſtare & comedere debebant fructus, in gratiarum actionem DEO præſtandam occaſione collectionis fructuum autumnalium. Tales e. g. ſunt Arbores *Citriæ*, quas intelligi vult *Onkelos*. Teſtem habemus *Joſephum Ant.* III. c. 10. Κελέυει —— ὁλοκαυϛᾶν τε καὶ θύειν τῷ ΘΕΩ τότε χαριϛήρια, Φέροντες ἐν ταῖς χερσὶν εἰρεσιώνας Μυρσίνης, καὶ ἰτέας σὺν

Κράδη φοίνικος πεποιημένη τὲ Μήλα τὲ τῆς Περσέας πρεσέντος. *Jubet — holocautomata offerre, & ſacram gratiarum actionem facere DEO ferentes manibus ramos Myrti & Salicis, cum ramo Palmæ ita parato, ut ex eo pendeant Mala Perſea*, hoc eſt, Citria. Porrò, & ſpeciatim ad tegenda tuguria, capiebant עֵץ עָבוֹת עָנָף *ets aboth anaph*, LXX. κλάδας ξύλα δασέας, Vulgata, *Ramos Ligni denſarum frondium*, Nos, *ramos Arboris denſæ*, *Meyen von diken Bäumen*, rectius *Aeſte von diken Bäumen.* Tales erant *Myrti*, הדסים *hadaſſim*, ut vult *Onkelos.* Confirmat id Nehemias VIII. 15. *Egredimini in Montem, & afferte frondes oleæ, & frondes Ligni pinguis, frondes Hadas, frondes Palmarum, & frondes denſæ Arboris, ut fiant Tentoria, ſicut ſcriptum eſt. (Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes Ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos Palmarum, & frondes ligni nemoroſi, ut fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt.)* Quo loco ad explicandum noſtrum Textum nihil eſt clarius. Conſentit *Joſephus* l. c. Memorantur porrò כַּפּוֹת תְּמָרִים *cappoth Themarim, rami palmarum, Palmen-Zweige, Spathæ*, & עַרְבֵי נַחַל *arbe nachal, Salices Torrentis, Bachweyden;* offendimus hujusmodi quoque ritus, quibus populus ad hilaritatem diſponebatur, apud Gentiles. *Strabone* teſte L. X. δενδροφορίαι τε ϗ χορεῖαι ϗ τελεταὶ κοιναὶ τῶν θεῶν εἰσι τέτων, *ramorum geſtationes & choreæ & myſteria biſce Diis*, Baccho, Apollini, Cereri, Muſis, *ſunt communia. Athenis* celebrabant ὠσχοφόρια in honorem Mineruæ, in quibus ferebantur ὦσχαι, h. e. τὰ μετὰ τῶν βοτρύων κλήματα, *palmites cum racemis*, de quibus *Suidas. Clericus Comm.* Conjectura eſt eruditiſſima plurimùm Rev. Viri *Joh. Baptiſtæ Ottii*, Archidiaconi & Canonici Tigurini, *Epiſtola de Numis quibusdam Samaritanis ad Relandum*, inſerta hujus de eodem argumento *Diſſertationibus* p. 59. exprimi hoc ipſum, de quo nunc, Judæorum לולב *lulaf*, ſiue Faſciculum Salicum in Numo Fig. A. & reſtitui eundem vult, uti extat Fig. B. De *Citrio* ſanè *Malo* dubium haud eſt, adeſſe ab una parte, ſicuti ab altera integra adeſt, ex qua ſpathas decerpſere, *Palma.*

TAB. CCLXXXV.

Leuit. Cap. XXV. verſ. 15. 16.

15. Juxta numerum annorum poſt Jubilæum compares à proximo tuo, & pro ratione annuorum prouentuum vendat tibi.

16. Juxta multitudinem annorum augebis pretium ejus, & juxta paucitatem annorum minues pretium ejus, quoniam numerum prouentuum ipſe vendit tibi.

15. Juxta numerum annorum Jubilei emes ab eo, & juxta ſupputationem frugum vendet tibi.

16. Quanto plures anni remanſerint poſt Jubileum, tanto creſcet & pretium; quanto minus temporis numeraueris, tanto minoris & emtio conſtabit, tempus enim frugum vendet tibi.

LUcem fœneratur huic materiæ doctrina de Proportionibus. Diſtinguit Legislator in hoc Capite, ſpeciatim v. 29. & 30. *Prædia* in *Urbana* & *Ruſtica*, quod & JCti faciunt *Leg.* 198. ff. *de Verb. Sign. Ruſtica* comparari debent cum *Feudis*, quæ absque conſenſu Domini alienari non poſſunt. Hujusmodi Prædia æſtimari debebant juxta numerum annorum, qui à tempore Contractus ad Jubilæum usque computabantur. Prædium e. g. cujus prouentus erat 10. *Stuk*, venditum primo poſt Jubilæum anno, ſubductis 7. Sabbathicis ex 48. annis utilibus pretio 410. modiorum, quot dant 41. anni: ſecundo 400. tertio 390. & ſic porrò in deſcendente Progreſſione Arithmetica.

410. 400. 390. 380. 370. 360. 350. &c. Niſi fortè comparentur uſurarum uſuræ. Nam anno Jubilæo veluti poſtliminio reuertebantur Prædia illa ad priſtinos Dominos. Similem fere Contractum habuere Romani. Ita *Vitruius* L. II. c. 8. §. 12. 15. *Noſtri celeritati ſtudentes, erecta coria locantes, frontibus ſeruiunt, & in medio farciunt fractis ſeparatim cum materia cæmentis, ita tres ſuſcitantur in ſtructura cruſtæ, duæ frontium, & una media ſtructuræ. Quæ ſunt è molli cæmento ſubtili facie venuſtatis, non eæ poſſunt eſſe in vetuſtatem non ruinoſæ. Itaque cum arbitraria communium parietum ſumuntur, non*

æſtimant

TAB. CCLXXXV.

LEVITICI Cap. XXV. v. 15. 16.
Lex Iudaeorum agraria.

III. Buch Mosis Cap. XXV. v. 15. 16.
Kauff- und Land-Ordnung.

G. D. Heuman sculps.

LEVITICI cap. XXVI. v. 16.
Morbi Rebellium poenæ.

III. Buch Mosis Cap. XXVI. v. 16.
Der bestraffte Ungehorsam.

S. G. Thelot. sculps.

æſtimant eos, quanti facti fuerint, ſed cum ex tabulis inueniunt eorum locationes, pretio præteritorum annorum ſingulorum deducunt octogeſimas, & ita ex reliqua ſumma partem reddi jubent pro his parietibus, ſententiamque pronuntiant, eos non poſſe plus quàm annos 80. durare. Alia fuit ratio *Prædiorum urbanorum & rerum mobilium:* illa alienari poterant ſub jure reluitionis intra Annum, quo præterito quaſi per uſucapionem, vel Præſcriptionem, acquiſita emptori manebant. Ad ſingulare hoc prædiorum urbanorum & Ædium jus ſpectare videtur Præceptum Decalogi. Exod. XX. 16. *Ne concupiſcas domum proximi tui*, ne ſcilicet per incrementa unius Familiæ altera redigeretur ad incitas. *Res mobiles* momento transibant ad venditorem. Prædium urbanum fuit Nabothi illa vinea, Palatio Regio vicina, quam proprietarius Ahabo Regi vendere vel permutare recuſauerat, & his quidem verbis: *Seruet me* DOMINUS, *ne dem tibi hæreditatem Patrum meorum.* 1. Reg. XXI. 3. *(Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.)* v. *Reyher Math. Moſ.* 522. Plura de hac re, & collatiuè cum *Legibus* Gentium, ſpeciatim *Agraria* Romanorum habet *Clericus* in *Comm.*

TAB. CCLXXXVI.

Leuit. Cap. XXVI. verſ. 16.

— Viſitabo vos Terrore, Tumore, & febri ardente, quæ oculos conſumant, & animum contabeſcere faciant. Semen veſtrum fruſtra ſeminabitis, quia hoſtes veſtri ipſum comedent.

— Viſitabo vos velociter in egeſtate & ardore, qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras: fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus deuorabitur.

EX Morbis grauioribus, qui rebelli populo interminantur, primus occurrit שַׁחֶפֶת *Schachepheth*, obuius quoque Deut. XXVIII. 22. De hoc non omnibus eſt eadem mens. Recutiti Doctores, *Selomo*, *de Pomis*, *Jarchi* definiunt ita, quòd carnem inflet, puſtulas gignens ut poma. Hinc fortè Nos *Tumorem*, *Geſchwulſt*, vertimus. Sed Tumores ſunt varii, diuerſis apud Medicos nominibus noti, Apoſtemata, Furunculi, Scrophulæ, peſtilentiſſimi omnium Bubones. *Kimchius* in *Lexico ex* R. *Jona* & Talmude Morbo hocce dicit eſſe מַתְנוּנָח *mathnunah*, *debilitatum*, *emaciatum*, *attenuatum*, proinde *Phthiſin* ſeu *Tabem* intelligit. Idem vult *Sochaph* Arabum, Hebraico noſtro affine. Suſpicatur *Bochart Hieroz.* P. II. L. II. c. 19. Græcos reddidiſſe ἀτροφίαν, quæ Tabis eſt ſpecies, licet ἀπορίαν habeant Exemplaria, unde *Hieronymus* interpretatus fuit per *egeſtatem*. Sed præualet *Tabes*. Sanè Hebræis שָׁחוּף *Schachuph* eſt *tabidus*, quod probat *Buxtorff* ex *Sota* f. 26. b. à שָׁחַף *ſchachaph* in Kal *tabere*, in Niphal *tabidum fieri*, in Piel *tabefacere*. Hinc & *Larus* leuiſſimæ molis Auis, valde emaciata, שַׁחַף *Schachaph*. Apud LXX. pro שַׁחֶפֶת legitur ψώρα. Poſſent conciliari omnes, ψώρα, Scabies, eleuatur quoque in Puſtulas, & aliquando diſponit ad maciem. Et Phthiſeos ultimum fere Symptoma, quod & morbo & vitæ coronidem imponit, eſt Pedum Oedema. קַדַּחַת *Kaddachath*, LXX. ἴκτερον, Vulgatæ *Ardor*, Nobis *Febris ardens*, *Fieber*. Videntur ſequentia proximè Verba, *quæ oculos conſumant*, & *animum contabeſcere faciant*, referri debere ad Morbos præcedaneos, tanquam effectus, potius quàm ut huc pertineat *Oculorum* ita dicta *imminutio*, de qua *Celſus* L. VI. c. 6. *Euenit etiam, ut oculi vel ambo, vel ſinguli, minores fiant, quàm eſſe naturaliter debeant.* In Phthiſi ut conſumuntur omnia, minores quoque redduntur oculi.

SUPPLEMENTA IN LEVITICUM.

Leuit. Cap. II. verſ. 11.

Omne donum, quod DOMINO adfertis, infermentatum ſit, nullum enim fermentum, nullumque Mel incendere debetis in Sacrificiis DOMINI, quæ Igne fiunt.

Omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini.

COmmendatur multoties *Mel* in Sacris ob inſignes & varios uſus ac proprietates, quas enumerare hujus loci non eſt. Et in ipſis Sacrificiis quotidianus fuit Mellis uſus. *Homerus* ſanè, vel alius, *Hymno in Mercurium* nobile hoc Naturæ γέννημα vocat θεῶν ἡδεῖαν ἐδωδὴν, *Deorum ſuauem cibum*, & in *Batrachomyomachia.*

Χρηϛὸν Μελίτωμα, τὸ ϗ μάκαρες ποθέεσιν.

Optimum ex Melle dulciarium, quod etiam Dii deſiderant.

Qui teſtes deſiderat plures, adeat *Pauſaniam* ejusque *Eliaca* priora, *Strabonem* L. X. alios. Sed heic Lege Diuina prohibitus Mellis in Sacrificiis uſus; Cauſam nemo dixerit facile. Intelligit heic R. *Selomo Mellis* nomine omnem fructuum dulcedinem nonnulli apud *Abenezram Dactylos.* Sed non diſcedendum volunt omnes alii Interpretes à proprio vocis ſignificatu. Et cauſas varias, ad myſticas usque, allegant varii. Apud *Philonem* legas, συναγαγὼν αὐτῶ μέλιτταν ζῴων εἶναι ἀ καθαρὸν, σήψεως ϗ φθορᾶς νεκρῶν, ὡς ὁ λόγος, βοῶν γεννώμενον, *ejus collectricem Apem Animal eſſe impurum, quodque ex mortuorum Boum putredine & corruptione naſci perhibent.* Apud *Theodoretum*, quod fortè melius, *apem in locis impuris ſedere, & mellis conficiendi materiam undecunque colligere:* item, *Apis fructum à Labore noſtro non procedere: mellis nomine Voluptatem prohiberi.* Apud *Hieron. Epiſt.* 19. *ad Euſtochium, apud DEUM nihil voluptuoſum, nihil tantum ſuaue placere, niſi quod in ſe habet mordacis aliquid veritatis.* Apud *Plutarchum Sympoſ.* L. IV. c. 5. ὅτι δοκεῖ φθείρειν τὸν οἶνον κεκαινύμενον, *quia vinum admixtum videtur corrumpere.* Probare nempe vult, Judæos coluiſſe Bacchum, eumque mixtura mellis irritare noluiſſe. Quum tamen ex profanis conſtet Scriptoribus, Baccho ipſi præter vinum oblatum quoque fuiſſe Mel. *Tibull.* L. I. *Eleg.* 8.

Sic venias hodierne; tibi dem Thuris honores
Liba & Mopſopio dulcia melle feram.

Ouid. Faſt. L. III. v. 735.

Liba Deo fiunt, ſuccis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

In tanta rei obſcuritate eò inclinat *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 13. DEUM ob id ipſum, quod in Dæmonum Sacris Mellis uſus penè perpetuus fuerit, pro impuro illud habuiſſe, & in Sacrificiis offerri noluiſſe.

Leuit. Cap. III. verſ. 9.

Et ſacrificet de victima gratulatoria ſacrificium, quod Igne confit DOMINO, nempe Adipem ejus, integram caudam, quæ juncta eſt Spinæ dorſi, tollet, Adipem quoque, qui obtegit ventrem, & omnem Adipem, qui eſt ſuper Inteſtina.

Et offerent de pacificorum hoſtia ſacrificium Domino: adipem & caudam totam cum renibus, & pinguedinem, quæ operit ventrem, atque uniuerſa vitalia.

Vid. Exod. XXIX. 22.

Leuit.

Leuit. Cap. V. verſ. 11.

Si vero facultas adferendi duos Turtures aut duos columbinos pullos ei defuerit, adferat munus ſuum is, qui peccauit, decimam ſcilicet partem ſimilaginis Epha pro ſacrificio peccati: at oleum non ponet ſuper illud, neque etiam Thus addat, eſt enim ſacrificium pro peccato.

Quodſi non quiuerit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem ephi decimam: non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt.

Vid. Exod. XVI. 36.

Leuit. Cap. XI. verſ. 3.

Ad filios vero Iſrael dices his verbis: Tollite Hircum ex Capris pro hoſtia peccati, & vitulum, & Agnum, anniculos integros pro Holocauſto.

Et ad filios Iſrael loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum anniculum, & ſine macula in holocauſtum.

EAdem eſt ratio *Agni* & *Vituli* anniculorum; non intelligendi ſunt præciſè δωδεκάμηνοι, ſed Vituli & Agni ab octauo die usque ad Annum completum. Hujusmodi *Agnus* vocatur ut heic & multis aliis locis כֶּבֶשׂ *Cebes*; Nam ſi anniculo major, vocatur אַיִל *ail*. Sic & diſtinguunt Doctores quidam Hebræi עֵגֶל *egel* à פַּר *phar*, Vitulum ſeu Bouem, anniculum à bimo. Hujusmodi & Vituli & Agni vocantur בְּנֵי שָׁנָה *bne ſchanah*, filii Anni. Sic & Mich. VI. 6. conf. *Boch. Hieroz.* P. I. L. II. c. 28. Cum Hebræo עֵגֶל conuenit modernorum Arabum *ygl*, *ygguel*, Plur. *ægiagil* & *ugiul*. fœm. *yglet*, Plur. *ygel*. Meninzk. Lex. 3218. 3222. 3225.

Leuit. Cap. XI. verſ. 23.

Omne vero reptile alatum, quod quatuor pedes habet, abominandum eſto vobis: In iſtis polluemini.

Quicquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis.

Vid. Leuit. XI. 23.

Leuit. Cap. XVII. verſ. 10-14.

10. Et quicunque de domo Iſrael, aut de incola, qui inter vos habitat, ullum Sanguinem comederit, ponam faciem meam contra Animam talem, & excindam eam de medio populi ſui.

10. Homo quilibet de domo Iſrael, & de aduenis, qui peregrinantur inter vos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo.

11. Nam Anima Carnis eſt in Sanguine, & ego illam dedi vobis ſuper Aram, ad expiandum Animas veſtras: Sanguis enim Animam expiabit.
12. Et ob id dixi filiis Iſrael: Nulla Anima ex vobis Sanguinem edat, deinde nullus incola, qui habitat inter vos, Sanguinem edat.
13. Quicunque ex filiis Iſrael, & incola, qui habitat inter vos, venatus fuerit venationem feræ aut volucris, quæ comedi poteſt, effundat ſanguinem ejus, & obruat eum puluere.
14. Nam anima omnis carnis ſanguis ejus eſt, pro Anima ejus eſt: ob id dixi filiis Iſrael: Nullius carnis ſanguinem comedetis, quia Anima omnis carnis ſanguis eſt, quicunque comederit, excindetur.

11. Quia anima Carnis in ſanguine eſt: & ego dedi illum vobis, ut ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit.
12. Idcirco dixi filiis Iſrael: omnis anima ex vobis non comedet ſanguinem, nec ex aduenis, qui peregrinantur apud vos.
13. Homo quicunque de filiis Iſrael, & de aduenis, qui peregrinantur apud vos, ſi venatione atque aucupio ceperit feram vel auem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem ejus, & operiat illum terra.
14. Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt, unde dixi filiis Iſrael: Sanguinem uniuerſæ carnis non comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt; & quicunque comederit illum, interibit.

EXpoſui Legem hanc, quæ una eſt ex δυσνοήτοις ad Gen. IX. 4. quæ repetere heic nolo, ne actum videar agere. Vidimus, cauſam præcepti hujus prohibitorii eſſe moralem potius & Typicam, quàm Phyſicam. Videtur Legislator ſummus reſeruaſſe ſibi, quod eſt in corpore Animato pretioſiſſimum, *Sanguinem*, à cujus conſtitutione & motu haud dubiè pendet vita: præuertiſſe, quæ ad crudelitatem & homicidia ducunt cunque. Ut fruſtra quærant in hac Lege Palladium *Metempſychiſtæ*, ne ſcilicet mediante ſanguine transeat Anima Brutorum in Hominem. De Anima hac Brutorum multa fantur Philoſophi, ſed parum certi. Vox eſt πολύσημος, quæ multas Philoſophiæ, easque inanes, induxit rixas. Multa illi de Anima Vitali, de ejus Ideis operatricibus, de ejusdem cum Rationali Harmonia in Homine, ſed quæ Imaginationem ſapiunt potius, quàm Judicium. *Anima* Moſi idem videtur quod *Vita*. Sanè verſio noſtra vernacula vocem נֶפֶשׁ *nephesch* v. 11. reddit per ψυχὴν, *Animam*, *Seel.* v. 14. per ζωὴν, *vitam*, *Leben*.

Leuit. Cap. XIX. verſ. 26.

Ne edatis cum Sanguine, nec Magicam exerceatis, neque tempora obſeruabitis.

Non comedetis carnem cum ſanguine. Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia.

Vid. Deut. XVIII. 10. 11.

Leuit. Cap. XXII. verſ. 4.

Quicunque de ſemine Aharonis leproſus fuerit, aut fluxum patiens, de ſanctificatis non comedat, do-

Homo de ſemine Aaron, qui fuerit leproſus, aut patiens fluxum ſeminis, non veſcetur de his quæ

nec

nec mundetur, & qui tetigerit quemcunque, qui ſuper mortuo immunditiam contraxit, vel (qui contigerit) aliquem, cui exierit, aut qui projecerit ſemen.

ſanctificata ſunt mihi, donec ſanetur. Qui tetigerit immundum ſuper mortuo, & ex quo egredietur ſemen quaſi coitus.

Vid. Leuit.. XV. 16.

Leuit. Cap. XXII. verſ. 19. 20.

19. (Adferatis hoc) ut grati ſitis, nempe marem integrum è bobus, ex ouibus aut Capris.
20. Quicquid vero vitium aliquod habet, illud ne adducatis, neque enim gratos vos redderet.

19. Ut offeratur per vos, maſculus immaculatus erit ex bobus, ex ouibus, & ex capris.
20. Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.

Vid. Exod. XII. 5. Lev. I. 2. 3.

Leuit. Cap. XXII. verſ. 27. 28.

27. Quum Bos, aut Ouis, aut Capra nata fuerit, ſeptem diebus maneat ſub matre ſua, die vero octauo, & deinceps grata erit DOMINO, pro Sacrificio, quod Igne confit.
28. Bouem aut pecudem una cum fœtu ſuo ne mactetis eodem die.

27. Bos, ouis, & capra, cum genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ: die autem octauo, & deinceps, offerri poterunt Domino.
28. Siue illa Bos, ſiue ouis, non immolabuntur uno die cum fœtibus ſuis.

COnuenit cum puriſſimo ritu Gentium impuriſſimus. *Suis fœtus ſacrificio die quinto purus eſt, Pecoris die octauo, Plin.* L. VIII. c. 51. Lex noſtra eadem cum Exod. XXII. 30. *Sic quoque facies cum Boue tuo, & cum ouibus tuis: Septem diebus erit cum matre ſua, octauo die ipſum mihi dabis.* Pendet quidem hæc, ut aliæ hujusmodi Leges, à Legislatoris arbitrio, ſed tamen dari poſſunt rationes, quas allegat *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 50. Recens nata tenella adeò ſunt, ut de certo vitæ ſucceſſu non ſimus ſecuri, & ante diem octauum vix in Animantium numero reponi poſſint: ſpurcitie ex Amnii liquore adhuc veluti incruſtata, nondum munda, depuranda ante diem octauum. Nouimus etiam, hujusmodi Animalia ante diem octauum comedi vix poſſe propter viſcoſam ſuam laxitatem. Adde, ante hoc tempus vix, niſi ſummo incommodo ex Judæa tota ad unum locum ferri potuiſſe. Altera Lex, quæ extat v. 28. arcebat Judæos à crudelitate.

Leuit. Cap. XXIII. verſ. 10.

— Quum veneritis in Terram, quam ego do vobis, & meſſueritis meſſem ejus, inferetis Gomer de pri-

— Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpica-

mitiuis fructibus messis vestræ ad Sacerdotem.

rum primitias messis vestræ ad Sacerdotem.

Vid. Exod. XVI. 36.

Leuit. Cap. XXIII. vers. 13.

Cibarium autem sacrificium ejus fiet ex duabus decimis similaginis, quod commixtum sit oleo, ut fiat sacrificium Igne DOMINO in odorem suaueolentem, & libatio ejus sit de vino, nempe quarta pars Hin.

Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suauissimum: liba quoque vini, quarta pars Hin.

Vid. Exod. XXIX. 40.

Leuit. Cap. XXIV. vers. 2.

Præcipe filiis Israel, ut adferant ad te Oleum Oleæ purum & contusum ad Luminare, ad (a) incendendum Lucernam (b) jugiter.

(a) Ebr. ad ascendendum, vel ad faciendum ascendere.

(b) Jugiter, tota scilicet nocte, à vespera usque ad auroram.

Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de oliuis purissimum ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter.

Vid. Exod. XXVII. 20.

Leuit. Cap. XXIV. vers. 5.

Tolles quoque similaginem, & pinses ex ea duodecim placentas, duæ decimæ erunt in una Placenta.

Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas.

D*Uæ decimæ* scilicet τῦ *Ephah*, siue Gomeri duo, ingrediebantur Panes sacros, qui proinde sat fuere magni. Gomer unius capacitas est $202\frac{1}{5}$. digitorum Parisinorum, proin Panis unius farina fuit $404\frac{2}{5}$. Reductio ad nostrates mensuras dat pro Gomer $1\frac{351}{425}$. modioli, *Mäßlein*, duplum proin erit $3\frac{277}{425}$. modioli. *Vid. Exod. XVI. 36.*

Leuit. Cap. XXVI. vers. 19.

Et frangam superbiam roboris vestri, faciamque Cœlum vestrum veluti Ferrum, & Terram vestram veluti Æs.

Et conteram superbiam duritiæ vestræ; daboque vobis cœlum desuper sicut Ferrum, & terram æneam.

Ita

ITa quoque Deut. XXVIII. 23. *Erunt tibi Cœli ſuper caput tuum ærei, & Tellus, quæ ſub te eſt, ferrea. (Sit cœlum, quod ſupra te eſt, æneum: & terra, quam calcas, ferrea.* Ego, non inane Idolum Natura, Ego Creator æternus & potentiſſimus, Naturæ Author & DOMINUS, *faciam cœlum veſtrum*, ſcilicet æreum, quod uſui veſtro accommodaui præciſè, ratione Grauitatis ſuæ, Raritatis & Denſitatis, Elaſticitatis, aliarum Qualitatum, quodue pro bono Plantarum veſtrarum & Animalium conſtitui diues Aquarum promptuarium, i. e. Atmosphæram, *veluti Ferrum, & Terram veſtram veluti Æs*, tunc nempe, ſi, quod accidit 1. Reg. XVII. 1. juſtiſſimo DEI judicio per totius Anni decurſum *nec Ros fuerit, nec Pluuia;* omnia proin Vegetabilia præ ſiccitate nimia areſcunt, Fontes ſiccantur, Animalia Hominesque præ ſiti contabeſcunt, Terra induratur adeò, ut nemo eam arando vincere poſſit: ubi notandum, in Orientalibus Regionibus, ſpeciatim ſub Zona torrida quotannis in Menſibus æſtiuis exiccari & indurari ordinariè ita, ut coli non poſſit, & Plantæ omnes areſcerent, niſi Terra fuiſſet Menſibus hybernis à continua fermè Pluuia ſufficienter & veluti prouiſionaliter humectata.

Leuit. Cap. XXVII. verſ. 25.

— habet autem Siclus viginti Gera. — Siclus viginti obolos habet.

Vid. Exod. XXX. 13.

TAB. CCLXXXVII.

Num. Cap. I. verſ. 45. 46.

Fuerunt autem omnes cenſi ex filiis Iſrael, juxta domos patrum ſuorum, ex his qui viginti annos & ſupra nati erant, & qui ex Iſraele ad bellum apti erant.

Omnes, inquam, cenſi ſexcenta millia, atque triginta millia, quingenti & quinquaginta.

Fueruntque omnis numerus filiorum Iſrael, per domos & familias ſuas, à viceſimo anno & ſuprà, qui poterant ad bella procedere.

Sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta.

OCcurrunt in Moſaicis Scriptis tres populi Iſraelitici numerationes, haud multùm ab inuicem diſcretæ. Egrediente populo ex Ægypto Exod. XII. 37. - - - 600000.
Nunc, Anno poſt - - - - - 603550.
Circa ingreſſum in Canaan - - - 601730.
Quæ tanti numeri Familia quomodo à 70. Animabus cum Jacobo Ægyptum ingreſſis ad tantam ſummam excreſcere potuerit, docuimus ad Locum Exodi citatum. Quod ſi numero præſenti - - - - - - - - 603550.
addamus Leuitas Num. III. 39. - - 22000.
prodibit ſumma omnium Iſraelitarum 625550.
Prodit autem, quæ genuina eſt Additionis proba, eadem collectis in unam ſummam Tribubus omnibus ſingulatim expoſitis. Non præ-tereundus eſt, qui per incuriam in Latinam noſtram Verſionem irrepſit error, ubi pro *tria millia* legas *triginta millia.*

Haud, opinor, ingratum erit Lectori, mecum deſcendere ad particularem Tribuum enumerationem, & ex ſinubus Patrum ſuorum formationem, ut pateat tum DEI Abrahamo factæ promiſſionis impletio, tum Matheſeos ad ſacras literas applicatio. Siſtam autem ante omnia Tabulam Familiæ benedictæ Genealogicam, ſubjuncturus dehinc Tribus ſingulas, easque ad calculum ſpecialem, quem habet *Reyherus Math. Moſ.* p. 222. reducturus, ubi patebit, quartam ſemper Generationem cum tertia producturos eſſe numerum in Textu expoſitum.

NUMER. Cap. I. v. 45. 46.
Numerosa Iacobi posteritas.

IV. Buch Mosis Cap. I. v. 45. 46.
Jacobs Zahlreiche Nachkommen.

M. Tyroff sculp.

Patre Jacobo ſeu Iſraele geniti

ex Lea Gen. XLVI. 15.

- Ruben
  - Hanoch
  - Pallu
  - Hezron
  - Charmi

  } 46500. Num. I. 21.
- Simeon
  - Jemuel
  - Jamin
  - Ohad
  - Jachin
  - Zohar
  - Saul

  } 59300. Num. I. 23.
- Leui
  - Gerſon
    - Libni
    - Simei

    } 7500. Num. III. 22.
  - Kahath
    - Amram
    - Jezehar
    - Hebron
    - Uſiel

    } 8600. Num III. 28.
  - Merari
    - Maheli
    - Muſi

    } 6200. Num. III. 34.
- Juda
  - Sela
  - Perez
    - Hezron
    - Hamul

    } 74600. Num. I. 27.
  - Sera
- Iſaſchar
  - Thola
  - Phua
  - Job
  - Semron

  } 54400. Num. I. 29.
- Sebulon
  - Sered
  - Elon
  - Jahleel

  } 57400. Num. I. 31.
- Dina.

ex Silpa Gen. XLVI. 18.

- Gad
  - Ziphion
  - Haggi
  - Suni
  - Hezbon
  - Eri
  - Arodi
  - Aroli

  } 45650. Num. I. 25.
- Aſſer
  - Jemna
  - Jeſua
  - Jeſui
  - Bria
    - Heber
    - Malchiel

  } 41500. Num. I. 41.

ex Rahel Gen. XLVI. 22.

- Joſeph
  - Manaſſe 32200.
  - Ephraim 40500.
- Benjamin
  - Bela
  - Becher
  - Asbel
  - Gera
  - Naaman
  - Ehi
  - Ros
  - Mupim
  - Hupim
  - Ard

  } 35400. Num. I. 37.

ex Bilha Gen. XLVI. 25.

- Dan.
  - Huſim. 62700. Num. I. 39.
- Naphthali
  - Jahzeel
  - Gumi
  - Jetzer
  - Sillem

  } 53400. Num. I. 43.

I. RU-

I. RUBEN 46500.

Deſcendamus ad Tribus ſingulas! RUBEN genuit 4. filios: pone, unum 7. reliquorum trium quemlibet genuiſſe filios 8. obtinebis pro Generatione Ægyptiaca I. 32. Si cuilibet horum aſſignes 5. erit Generatio II. 155. hi multiplicati per 15. dabunt pro Generatione III. 2325. & hi per 19. pro quarta 44175. & III. cum IV. dabunt 46500. Quod idem productum prodibit, ſi datam ſummam 46500. diuidas per probabilem liberorum numerum e.g. 19. ſic obtinebis pro III. Generatione 2447. hanc ſi à ſumma totali ſubtrahas, remanebunt pro IV. Generatione 44053. quæ prodit, ſi multiplices 2440. ex tertia Generatione per 18. & reſiduos 7. per 19. Quod ſi lubeat eandem hanc operationem proſequi ad Generationes præcedentes, diuidendo per probabiles numeros, obtinebis easdem, vel tales, quæ ſequuntur.

Rubenis filii - - - - - - - - -	4.
Generatio I. - - - - - - - - -	23.
- - - II. - - - - - - - -	215.
- - - III. - - - - - - -	2583.
- - - IV. - - - - - - -	43917.

II. SIMEON 59300.

Simeon filios habuit 6. Pone ſingulos ex 3. prioribus genuiſſe 6. ex tribus poſterioribus 7. obtinebis pro I. generatione 39. Horum 31. multiplicatis per 9. & 8. per 10. prodibit II. Generatio 359. Horum 355. multiplicatis per 11. & 4. per 12. prodibit III. Generatio 3953. Et horum 3948. multiplicatis per 14. & 5. per 15. obtinebimus pro IV. 55347. III. autem & IV. additæ dabunt 59300.

III. LEVI 22300.

Leui primus *Gerſon* binos habuit Filios: Da uni horum 16. alteri 17. filios: obtinebis pro II. Generatione 33. Horum 28. multiplicati per 15. & 5. per 16. dabunt III. 500. Horum ſinguli multiplicati per 14. dabunt 7000. III. & IV. ſimul 7500.

Alter Filius *Kahath* 4. habuit filios, qui primam dant Lineam. Aſſigna uni 10. tribus 11. habebis pro II. Generatione 43. Hi multiplicati per 10. dant III. 430. Hic per 19. IV. 8170. III. & IV. junctæ erunt 8600.

Tertius *Merari* 2. habuit Filios. Da ſingulis 10. obtinebis pro II. Generatione 20. Dimidiæ parti tribue 15. alteri medietati 16. prodibit III. 310. qui multiplicati per 19. dabunt IV. 5980. Duæ hæ ultimæ additæ 6200.

Sic erunt

Gerſonitæ.	Kahathitæ.	Meraritæ.
I. Gen. 2. - - - -	4. - - - -	2.
II. - 33. - - -	43. - - -	20.
III. - 500. - - -	430. - - -	310.
IV. - 7000. - - -	8170. - - - -	5890.
7500.	8600.	6200.

Leuitarum ſumma 22300.

IV. JUDA 74600.

Judæ Filii fuere *Sela*, *Perez* & *Sera*: Nepotes ex *Sela*, *Hezron* & *Hamul*. *Hezron* genuit 2. Filios; da uni 6. habebis 12. pro I. Generatione. Horum 8. ſi dabis 8. & 4. reliquis 9. obtinebis pro II. Generatione 100. Horum 92. concede 18. & 8. reliquis da 19. prodibunt pro III. Generatione 1808. 1800. ex hiſce tribue 18. & 8. reliquis 19. prodibit IV. Generatio 32552. III. & IV. Hezronis Generationes dabunt 34360.

Hamul in prima Linea habet 2. Hi multiplicati per 10. dant II. Generationem 20. hi per 20. dabunt III. 400. hi per 25. 10000. III. & IV. junctæ 10400.

Perezio & *Sera* ſi dabis uni 5. alteri 6. habebis 11. pro I. Generatione. Tribus horum ſi des 10. & 8. reſiduis 11. prodibit II. 118. Horum 113. da 14. 5. reſiduis 15. habebis III. 1657. Horum 1643. da 17. & 14. reliquis 18. habebis pro IV. 28183. III. & IV. junctæ 29840

Sic erunt Hezronitæ	34360.
Hamulitæ	10400.
Perezitæ & Seritæ - -	29840.
	74600.

V. ISASCHAR 54400.

Iſaſchari 5. fuere filii: fac tres horum genuiſſe 5. duos ſex filios: obtinebis pro I. Generatione 27. Horum 19. ſi genuere 9. 8. reſidui autem 10. filios, erit Generatio II. 251. Horum 241. multiplicati per 12. dabunt 2892. 10. reſidui per 13. 130. ſic erit III. Generatio 3022. Ex his 3018. ſi genuerint 17. & 4. reliqui 18. erit IV. Generatio 51378. III. & IV. additæ 54400.

VI. SEBULON 57400.

Sebuloni erant 3. filii. Da duobus ex illis 14. uni 6. filios, erit I. Generatio 20. II. 143. multiplicatis 17. per 7. & 3. per 8. III. 2296. multiplicatis 135. per 16. & 8. per 17. IV. 55104. multiplicatâ III. per 24. binæ poſtremæ additæ 57400.

VII. GAD 54650.

Habuit filios 7.

I. Generatio, multipl. 3. per 9. & 4. per 10. - - - - - - - -	67.
II. mult. 61. per 7. & 6. per 8. - -	475.
III. mult. 471. per 8. & 4. per 9. -	3804.
IV. mult. 3802. per 11. & 2. per 12. -	41846.
III. & IV.	54650.

VIII. ASSER 41500.

Jemma, Jeſua, Jeſui multiplicati per 8. dant

pro I. Linea - - - - - - - - -	24.
pro II. mult. 24. per 8. - - - - -	192.
pro III. mult. 182. per 11. & 10. per 12. -	2122.
pro IV. mult. 2118. per 12. & 4. per 13.	25468.
III. & IV.	27590.

Heber & Malchiel nati ex Bria.
Hi multiplicati per 5. dant,
pro I. Generatione - - - - - - - 10.
II. mult. 10. per 11. - - - - - 110.
III. mult. per 9. - - - - - - - 990.
IV. mult. per 12. - - - - - - 11880.
III. & IV. 12870.

Alius ex Bria filius habet in
I. Generatione - - - - - - - - - 1.
II. mult. per 8. - - - - - - - - 8.
III. mult. per 10. - - - - - - - 80.
IV. mult. per 12. - - - - - - - 960.
III. & IV. 1040.
Hæ Generationes omnes additæ dant 41500.

IX. JOSEPH.

MANASSE 32200. EPHRAIM 40500.
I. Gener. - - - 10. I. - - - - - 16.
II. 6. mult. per 13. & II. mult. per 10. - 160.
4. per 14. - 134. III. 152. mult. per 12.
III. 132. mult. per 12. & 8. per 13. - 1928.
& 2. per 13. 1610. IV. 1916. mult. per 20.
IV. mult. per 19. 30590. & 12. per 21. 38572.
III. & IV. 32200. III. & IV. 40500.

X. BENJAMIN 35400.

Filii 10. Horum 2. per 9. 8. per 10. multipl. dant
I. Generationem - - - - - - - - 98.
II. 95. multipl. per 9. 3. per 10. - - 885.
III. mult. per 5. - - - - - - - 4425.
IV. mult. per 7. - - - - - - - 30975.
III. & IV. 35400.

XI. DAN 62700.
I. Generatio - - - - - - - - - 11.
II. mult. per 12. - - - - - - - - 132.
III. mult. per 19. - - - - - - - 2508.
IV. mult. per 24. - - - - - - - 60192.
III. & IV. 62700.

XII. NAPHTHALI 53400.

Filii 4. quorum una medietas per 7. altera per 6. multipl. dant
I. Generationem - - - - - - - - 26.
II. 16. mult. per 11. & 10. per 12. - - 296.
III. 288. mult. per 12. & 8. per 13. - 3560.
IV. mult. per 14. - - - - - - - 49840.
III. & IV. 53400.

Tribus omnes redactæ in ſummam.
I. RUBEN - - - - - - - - - 46500.
II. SIMEON - - - - - - - - 59300.
III. LEVI - - - - - - - - - 22300.
IV. JUDA - - - - - - - - - 74600.
V. ISASCHAR - - - - - - - 54400.
VI. SEBULON - - - - - - - 57400.
VII. GAD - - - - - - - - - 54650.
VIII. ASSER - - - - - - - - 41500.
IX. MANASSE - - - - - - - 32200.
EPHRAIM - - - - - - - 40500.
X. BENJAMIN - - - - - - - 35400.
XI. DAN - - - - - - - - - 62700.
XII. NAPHTHALI - - - - - - 53400.
Summa - - 625850.
Eſt namque Iſraelitarum numerus, Leuitis exceptis. Num. I. 46. - - - - - - 603550.
LEVITÆ. Num. III. 39. - - - - - 22300.
Summa ut ſupra. 625850.

TAB. CCLXXXVIII.

Num. Cap. II. verſ. 1-32.

1. Loquutusque eſt DOMINUS ad Moſen & Aharonem in hanc ſententiam.
2. Quisque ex filiis Iſrael caſtra figat ſub vexillo ſuo, & ſub ſignis domus patrum ſuorum, è regione circum Tentorium conſtitutionis caſtra figant.
3. Ponent autem Caſtra Orientem verſus ad exorientem Solem, qui ſunt ſub vexillo caſtrorum Jehuda per exercitus ſuos, & Princeps filiorum Jehuda fuit Nahaſon filius Aminadab.

1. Locutusque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron dicens.
2. Singuli per Turmas, ſigna atque vexilla, & domos cognationum ſuarum caſtrametabuntur filiorum Iſrael, per gyrum tabernaculi fœderis.
3. Ad Orientem Judas figet tentoria per turmas exercitus ſui: eritque princeps filiorum ejus Nahaſſon, filius Aminadab.

4. Exer-



NUMER. Cap. II. v. 1-32.
Vexilla Tribuum.

IV. Buch Mosis Cap. II. v. 1-32.
Fahnen der Stämmen.

M. Tiroff sculp.

4. Exercitus autem ejus & cenſus eorum 74600.

5. Juxta hunc Caſtra ponent, qui ſunt de Tribu Iſaſchar, fuitque Princeps filiorum Iſaſchar Nethaneel filius Zuar.

6. Exercitus ejus atque cenſus ejus, 54400.

7. Tribus Zebulon, & Princeps filiorum Zebulon Eliab filius Helon.

8. Porrò Exercitus ejus & cenſus 57400.

9. Uniuerſi autem cenſus caſtrorum Jehuda 186400. per Exercitus ſuos, & primi ipſi proficiſcantur.

10. Vexillum Caſtrorum Ruben verſus Auſtrum ſit per Exercitus ſuos, Princeps autem filiorum Ruben fuit Elizur filius Zedeur.

11. Porrò Exercitus ejus & cenſus ejus 46500.

12. Et juxta eum caſtrametabuntur Tribus Simeon, Princeps verò filiorum Simeon Selumiel, filius Zuri Sadai.

13. Porrò Exercitus ejus & cenſus eorum 59300.

14. Tribus quoque Gad, & Princeps filiorum Gad fuit Eliaſaph filius Rehuel.

15. Porrò Exercitus ejus & cenſus eorum 54650.

16. Uniuerſi qui cenſi ſunt ex Caſtris Ruben 151450. per Exercitus ſuos, & hi ſecundo loco proficiſcentur.

17. Tentorium vero Conſtitutionis proficiſcetur cum turba Leuitarum in medio Caſtrorum, & ſicut

4. Et omnis de ſtirpe ejus ſumma pugnantium, ſeptuaginta quatuor millia ſexcentorum.

5. Juxta eum caſtrametati ſunt de tribu Iſaſchar: quorum princeps fuit Nathanaël filius Suar.

6. Et omnis numerus pugnatorum ejus, quinquaginta quatuor millia quadringenti.

7. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab, filius Helon.

8. Omnisque de ſtirpe ejus exercitus pugnatorum, quinquaginta ſeptem millia quadringenti.

9. Uniuerſi qui in caſtris Judæ annumerati ſunt, fuerunt centum octoginta ſex millia quadringenti: & per turmas ſuas primi egredientur.

10. In caſtris filiorum Ruben ad Meridianam plagam erit Princeps Eliſur filius Sedeur.

11. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, quadraginta ſex millia quingenti.

12. Juxta eum caſtrametati ſunt de tribu Simeon: quorum princeps fuit Salamiel, filius Suri-Saddai.

13. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, quinquaginta nouem millia trecenti.

14. In tribu Gad princeps fuit Eliaſaph, filius Duel.

15. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati ſunt, quadraginta quinque millia ſexcenti quinquaginta.

16. Omnes qui recenſiti ſunt in caſtris Ruben, centum quinquaginta millia & mille quadringenti quinquaginta per turmas ſuas; in ſecundo loco proficiſcentur.

17. Leuabitur autem tabernaculum teſtimonii per officia Leuitarum, & turmas eorum: quomodo eri-

Caſtrametantur, ſic etiam proficiſcantur, unusquisque in loco ſuo ſub vexillo ſuo.

18. Vexillum Caſtrorum Ephraim cum Exercitibus ſuis ad Occidentem (caſtrametetur) & Princeps filiorum Ephraim Eliſchama filius Amihud.

19. Exercitus ejus & cenſus eorum 40500.

20. Juxta hunc erit Tribus Manaſſe & Princeps filiorum Manaſſe Camliel filius Pedazur.

21. Exercitus ejus & cenſus eorum 32200.

22. Tribus quoque Benjamin, & Princeps filiorum Benjamin Abidan filius Gideoni.

23. Exercitus ejus & cenſus eorum 35400.

24. Uniuerſi, qui cenſi ſunt è Caſtris Ephraim, 108100. per exercitus ſuos, & hi tertio loco proficiſcentur.

25. Vexillum verò Caſtrorum Dan cum Exercitibus ſuis Aquilonem (tenebit), fuitque Princeps filiorum Dan Ahiezer filius Ami-Sadai.

26. Exercitus ejus & cenſus eorum 62700.

27. Juxta eum caſtrametabuntur Tribus Aſer, & Princeps filiorum Aſer Pagiel, filius Achran.

28. Exercitus ejus & cenſus eorum 41500.

29. Tribus quoque Naphthali, & Princeps filiorum Naphthali Ahira filius Enan.

30. Et Exercitus ejus atque cenſus eorum 53400.

31. Uniuerſi, qui cenſi ſunt è Caſtris Dan, 157600. & poſtremo loco proficiſcentur cum vexillis ſuis.

getur, ita & deponetur. Singuli per loca & ordines ſuos proficiſcentur.

18. Ad occidentalem plagam erunt caſtra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Eliſama, filius Ammiud.

19. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, quadraginta millia quingenti.

20. Et cum eis tribus filiorum Manaſſe, quorum fuit Gamaliel, filius Phadaſſur.

21. Cunctusque exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, triginta duo millia ducenti.

22. In tribu filiorum Benjamin princeps fuit Abidan, filius Gedeonis.

23. Et cunctus Exercitus pugnatorum ejus, qui recenſiti ſunt, triginta quinque millia quadringenti.

24. Omnes, qui numerati ſunt, in caſtris Ephraim, centum octo millia, centum, per turmas ſuas: tertii proficiſcentur.

25. Ad Aquilonis partem caſtrametati ſunt filii Dan: quorum princeps fuit Ahieſer, filius Ammi-Saddai.

26. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, ſexaginta duo millia ſeptingenti.

27. Juxta eum fixere tentoria de tribu Aſer: quorum princeps fuit Phegiel, filius Ochran.

28. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, quadraginta millia & mille quingenti.

29. De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira, filius Enan.

30. Cunctus exercitus pugnatorum ejus quinquaginta tria millia quadringenti.

31. Omnes, qui numerati ſunt in caſtris Dan, fuerunt centum quinquaginta ſeptem millia ſexcenti: & nouiſſimi proficiſcentur. 32.

32. Hic eſt cenſus filiorum Iſrael juxta domos patrum ſuorum, uniuerſi ſcilicet, qui cenſi ſunt caſtrametantes juxta Exercitus ſuos 603550.

32. Hic numerus filiorum Iſrael, per domos cognationum ſuarum & turmas diuiſi exercitus, ſexcenti tria millia quingenti quinquaginta.

QUi conceptum ſibi format de DEO, ejus eſſentia & proprietatibus genuinum, is perſpiciet facilè, Ens hoc ſupremum & infinitum id ſemper velle & exequi, quod infinita decernit Sapientia, verbo, eſſe DEUM Ordinis DEUM, *Mathematicorum Principem*, quo titulo cluet in Oratione Inaugurali Cl. *Joh. Caſpari Funccii*, Ulm. hoc ipſo quo ſcribimus anno Mathematicorum commodis erepti. Prolucet τάξις hæc, & perfectiſſima Tactica in ordinatiſſima Mundi totius compage, in Terræ noſtræ ſtructura, ubi omnia certo ordine, numero, pondere, menſura ſunt elaborata, imo in corporibus omnibus & corpuſculis. Et quicquid à DEO in Artem ipſam emanat, infinitam illam Sapientiam ubique ſpirat. Eſt ſanè *Arca Noachi* perfectiſſimum Exemplar *Architecturæ Naualis*, *Templum Solomoneum* & *Ezechielis Ciuilis*. Præſenti nunc conſiderationi ſubjicitur Diuina *Tactica* in populi Iſraelitici Caſtrametatione & progreſſibus.

Exercitus Iſraelitici fuere tres inprimis partes primariæ: prima extenſione minima, ſed intenſione maxima, & potentiſſima, ſitu intima, fuit ipſa DEI Sedes, Tabernaculum: ſecunda, quæ hanc cingebat, Sacerdotum & Leuitarum: tertia & extima Tribuum reliquarum Iſraelis, quæ quidem quadrante milliaris diſtabant à Tabernaculo: nam ex Joſ. III. 4. colligere licet, quod vacante cultu ad Arcam non propius accedere auſi fuerint, quàm 2000. ulnarum ſpatio. Diſtantiam ſanè amplam poſcebat non duntaxat reuerentia erga DEUM, ſed quoque ſpatium Exercitui numeroſiſſimo neceſſarium, quem componebant non ſolùm 600000. Viri milites, ſed hi cum totis ſuis Familiis, ut numerus haud minor fuerit 3000000. Hæ Familiæ omnes non ſparſæ & ſine ordine caſtra ſua metabantur, pecorum ad inſtar, vel, prouti ſolent Turmæ illæ Tartaricæ, & Orientalium Populorum Exercitus, ſed in exquiſitiſſima τάξει. Neque eſt dubium, quin ante per Ingeniarios quosdam, vel viros Geometriæ peritos fuerint omnia in campis delineata, ſtationes ſingulis partibus & Tribubus adſignatæ, quàm caſtra fuerint de nouo poſita, ut quilibet & locum ſibi proprium, & viam ad Tentoria quæuis alia ſtatim inuenire potuerit.

Ambitum totius Exercitus conſtituebant quatuor Acies ad quatuor Mundi plagas diſpoſitæ, ſingulæ cum ſuis vexillis. Ad ortum nempe fuit *Juda*, ſub quo ſtabant *Juda*, *Iſaſchar* & *Sebulon*. Versùs Meridiem *Ruben*: ſub eo *Ruben*, *Simeon* & *Gad*: ad occaſum *Ephraim*, ſub eo *Ephraim*, *Manaſſe* & *Benjamin*: Boream verſùs *Dan*, ſub eo *Dan*, *Aſer* & *Naphthali*. Sunt qui non ſolùm quatuor his Aciebus primariis, ſed ſingulis quoque Tribubus, ſua propria adſignant Vexilla; de quibus multa legere licet apud Talmudiſtas, qui & Colores definiunt, & Icones ſeu ſigna. In Vexillo *Judæ* volunt depictum fuiſſe *Leonem*, cum hac Epigraphe: *Surge DOMINE, & diſſipentur hoſtes tui, & fugiant, qui te oderunt, à facie tua.* Num. X. 35. Hoc Judæ ſignum colligunt ex Gen. XLIX. 9. *Iſaſcharo* tribuunt *Aſinum* ex Gen. XLIX. 14. *Sebuloni navem* ex Gen. XLIX. 13. *Rubeni Flumen* ex Gen. XLIX. 4. alii *Hominem*: *Simeoni Gladium* ex Gen. L. 5. *Gad Leonem* ex Deut. XXXIII. 21. *Ephraimo Unicornu* ex Deut. XXXIII. 17. *Manaſſe Bouem* l. c. *Benjamino Lupum* ex Gen. XLIX. 27. *Dani Serpentem* ex Gen. XLIX. 17. alii *Aquilam*. *Aſeri manipulum Spicarum* ex Gen. XLIX. 20. *Naphthali Ceruum* ex Gen. XLIX. 21. Sunt ex Doctoribus Chriſtianis, qui quatuor primarias Acies, harumque Principes referunt ad quatuor Evangeliſtas. Hos omnes ſibi & aliorum judiciis linquimus, uti & Vexillorum colores, quos eosdem volunt Judæi cum Gemmarum illis, quæ fulgebant in Aharonis Pectorali; progreſſuri ad alia intentioni noſtræ magis adæquata.

Additionis proba eſt, ſi ſummæ partiales junctim ſumptæ coincidant cum totali. Exemplum dat Textus. In Caſtris

Judæ fuere - - - - - -	186400. v. 9.
Rubenis - - - - - - -	151450. v. 16.
Ephraim - - - - - - -	108100. v. 24.
Dan - - - - - - - - -	157600. v. 31.
	603550. v. 32.

ubi inter alia obſeruanda eſt Tacticorum Regula, quod Acies Anterior & poſterior (l'Avantgarde & Arrieregarde) numero ſuperent intermedias.

Eſt mundities unum ex Caſtrorum benè ordinatorum requiſitis: hoc ſi ullibi, certè in ordinatiſſimo hoc Iſraelis Exercitu occurrit. Ad bina interiora, Tabernaculi, & Leuitarum, Caſtra non patuit aditus menſtruatis, non ulceroſis, aliisque ad immundorum Claſſem relegatis. Ab intimo excluſi erant, qui ex contactu mortui immunditiem contraxerant: limitibus omnium trium Caſtrorum ejecti Leproſi. Ita explicat *Lundius Leuit. Prieſterth.* p. 215. illud Num. V. 2. 3. *Præcipe filiis Iſrael, ut ejiciant è Caſtris* (omnibus tribus) *omnem Leproſum*, & (ex binis interioribus) *omnem, qui*

fluit, & (ex intimo Sanctiſſimo) *quicunque mortui contactu contaminatus eſt*, & *marem* & *fœminam ejiciatis: extra Caſtra, inquam, ejicialis eos, ne contaminent Caſtra ſua, in quorum medio ego habito. (Præcipe filiis Iſrael, ut ejiciant de caſtris omnem leproſum, & qui ſemine fluit, pollutusque eſt ſuper mortuo. Tam maſculum quam fœminam ejicite de caſtris, ne contaminent ea, cum habitauerint vobiſcum.)* Ex Deut. XXIII. 10. &c. patet adhuc clarius, quo usque ſeſe extenderit Caſtrorum Iſraeliticorum mundities. *Si fuerit in te vir, qui non ſit mundus, ex euentu aliquo nocturno, is egrediatur extra Caſtra* (intima), *nec reuertatur in Caſtra, ſed ſub veſperam lauet ſe Aqua, & poſt Solis Occaſum ingrediatur iterum in Caſtra: Locus quoque ſit tibi extra Caſtra, ad quem foras egrediaris, lignumque præacutum in baltheo, cum quo foris ſedens fodias, conuerſusque operias excrementum tuum. (Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio, egredietur extra Caſtra. Et non reuertetur, priusquam ad veſperam lauetur aqua; & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra. Habebis locum extra Caſtra, ad quem egrediaris ad requiſita naturæ. Gerens paxillum in baltheo: cumque ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo operies, quo releuatus es.)* Notum eſt iis, quibus Sanitas Hominum & integrorum Exercituum curæ eſt, Morbos facilè generari poſſe ex fœtidis Excrementorum halitibus, Febres Caſtrenſes, Peſtilentiales, Dyſenterias, quapropter hodienum in caſtris prouidetur, ut Militum Latrinæ ſeparatæ ſint à Caſtris & Tentoriis, imò & Milites fortè decumbentes ſeparati à ſociis ſanis tractentur in certis Noſodochiis.

In *Tactica* occurrit *Alarum* diſtinctio, *dextræ* & *ſiniſtræ*. Has Exercitus noſter habuit non verſus unam duntaxat, ut communiter, Plagam, ſed verſùs omnes quatuor. Ad Ortum Ala dextra fuit Tribus Iſaſchar, ſiniſtra Sebulonis, corpus medium Judæ. Ad Auſtrum Alam dextram formauit Simeon, ſiniſtram Gad, Corpus Ruben: Ad occaſum dextram conſtituit Manaſſe, ſiniſtram Benjamin, corpus Ephraim: Verſùs Septentrionem in dextra Ala ſtetit Aſer, in ſiniſtra Naphthali, in medio Dan. Neque tamen tenuis fuit Acies, ut perfringi potuerit facilè, ſed formarunt ſingulæ Tribus, ut numeroſæ fuerunt, lineas unam poſt alteram, ut primâ perruptâ ſecunda potuerit reſiſtere, ſecundâ fractâ ſiue debilitatâ tertia obicem ponere, & ſic deinceps.

Ubi tanta, quanta in Exercitu numeroſo, populi adeſt multitudo, oportet præſtò ſint, vel venum proſtent omnia victui neceſſaria. Heic, in Iſraelitico, nîl horum defuit. Panis pluebat cœlo. Alia, etiam ad pompam facientia, ſuppetebant abundè: aderant, ſi *Joſepho* fides, Fora publica, Tabernæ variæ. Ita ille *Ant.* L. III. c. 11. πηγνύντες δὲ τὴν σκηνὴν, &c. *Compacto igitur Tabernaculo, in medium Caſtrorum illud receperunt, tribus Tribubus per latera, ſingula tendentibus, inter quas viæ,* ὁδοὶ, *intercedebant. Forum* κόσμος ἀγορᾶς, *quoque rerum venalium eſt propoſitum,* & *merces ſuo quæque loco diſpoſitæ: aderantque opifices omnium Artium, in ſuis officinis,* ἐργαστηρίοις, *ut planè ciuitas,* πόλις, *videretur huc atque illuc commeans.* Mentio quoque fit Exod. XXXII. 27. Portarum Caſtrenſium. *Ponite quisque gladium ſuum ſuper femur ſuum, transite & redite de Porta ad Portam in Caſtris.* Inde ſanè inferre licet, egiſſe Iſraelitas in Portis iſtis excubias, imo fortè, ſi ſubſtiterint, vallo ſi non cinxiſſe caſtra, ſaltem Portas muniiſſe; atque prætendit *Sagittarius de Jan. Vet.* c. 18. §. 10. excubias habuiſſe Leuitas non duntaxat ad Tabernaculum, ſed quoque ad ingreſſum in caſtra Iſraelis in Portis illis.

Amplitudinem Caſtrorum Iſraeliticorum ſi conſideremus, non poſſumus non eam extendere ad longum ſpatium, ſi conferamus cum hodiernis Exercituum etiam maximorum Caſtris, qui ad 100000. vel etiam 150000. aſſurgunt milites. Judæi ambitum faciunt 12. milliarium, quod fidem haud excedit, ita Latus ad quamuis Plagam foret 3. Milliarium. Peramplo certè ſpatio opus fuit tum ad Tentoria pro Militibus & horum Familiis numeroſis, tum pro jumentis, pecoribus, & ſuppellectili. Adornare poterit, qui volet, Schematismum ex Hypotheſi *Reyheri Math. Moſ.* p. 568. qui ponit pro

Tribu Juda.

Latitudinem $298\frac{2}{3}$. cubitorum.
Longitudinem 250.

74600. cubit. quadrat.

ubi probè notandum, hoc ſpatio opus fuiſſe, ſi ſteterint omnes hujus Tribus milites clauſi juxta inuicem in ſuis Ordinibus, neque pro viro plus poni quàm ulnam quadratam, proinde ampliori longè ſpatio opus fuiſſe pro hujusdem Tribus metatione, Tentoriis, Plateis, Familiis, Jumentis, Suppellectili, quæ omnia Reyherus indefinita linquit. Porrò

pro *Tribu Iſaſchar.*

Latit. $217\frac{3}{5}$.
Longit. 250.

54400.

pro *Tribu Sebulon.*

Latit. $229\frac{3}{50}$.
Longit. 250.

57400.

pro *Tribu Ruben.*

Latit. $143\frac{1}{3}$.
Longit. 325.

46500.

pro *Tribu Simeon.*

Latit. $182\frac{6}{13}$.
Longit. 325.

59300.

pro

pro *Tribu Gad.*
Latit. 140½.
Longit. 325.
45650.
pro *Tribu Ephraim.*
Latit. 202½.
Longit. 200.
40500.
pro *Tribu Manaſſe.*
Latit. 161.
Longit. 200.
32200.
pro *Tribu Benjamin.*
Latit. 177.
Longit. 200.
35400.
pro *Tribu Dan.*
Latit. 156¾.
Longit. 400.
62700.
pro *Tribu Aſer.*
Latit. 103¾.
Longit. 400.
41500.
pro *Tribu Naphthali.*
Latit. 133½.
Longit. 400.
53400.

Qui hoc fundamento nixus delineare cupit Ichnographiam Caſtrorum, vel etiam Scenographiam, is in Centro pro Atrio Tabernaculi format primò Parallelogrammum 100. Cubitorum in longitudine & 50. in latitudine, circum quod circa ſpatium linquit vacuum 50. Cubitorum in Latitudine, dehinc verſùs Occaſum Caſtra ponit Leuitarum, nempe

Gerſonitarum Num. III. 22. 23.
Latit. 30.
Longit. 250.
7500.

verſùs Meridiem *Kahathitarum* Num. III. 28. 29.
Latit. 86.
Longit. 100.
8600.

ad Septentrionem *Meraritarum* Num. III. 34. 35.
Latit. 62.
Longit. 100.
6200.

Ad ortum ponenda ſunt Tentoria pro Moſe, Aharone, & filiis ejus. Num. III. 38.

Ubi ſeſe terminant Caſtra Sacerdotalia, aliud ſpatium vacuum linquitur latum in omnes Plagas 2000. Cubit. ultra quod metanda ſunt 12. Tribuum Caſtra.

Specioſa ſunt hæc, fateor, ſed Ichnographiam dant contractam nimis, ut quoque ſpecioſa ſunt, quæ pinguntur paſſim & ſculpuntur, inter Icones Biblicas obuia, oculos magis paſcentia quàm animum. Quapropter ex defectu Commentarii, qui mihi ſatis poſſit facere, tentare ipſe volui, quid poſſint Caſtrametationis, etiam modernæ, Leges Sacræ Scripturæ applicatæ, ut formari poſſit Idea Caſtris DEI omnium & maximis & perfectiſſimis, quæ fuere unquam, magis accommoda. Rem autem quomodo fuerim aggreſſus proponam diſtinctè, & quibus fundamentis nixus adornauerim figuras. Legitur Exod. XVIII. 21. Deut. II. 15. Jethronis conſilium Moſi Genero datum, & Politico Regimini & Militari diſciplinæ ſalutare. *Ex omni populo tu proſpice viros fortes, timentes DEUM, viros veraces, odientes auaritiam, & præfice illos Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, atque Decuriones.* Poſſunt hi *Tribuni*, potius *Chiliarchæ*, conferri commodè cum noſtris *Colonellis*, *Centuriones* ſeu *Hecatontarchæ* cum *Ducibus* ſeu *Capitaneis*, *Quinquagenarii* ſeu *Pentecontarchæ* cum *Locotenentibus*, *Decuriones* tandem ſeu *Decarchæ* cum *Excubitoribus*, quos Sergeants, *Wachtmeiſter*, nuncupare ſolemus. Sumebantur hi ſeu Magiſtratus ſeu Officiarii ex ſuis Tribubus ſinguli, ut non admiſſi fuerint ἀλλόφυλοι. Quod dirimi aut terminari non poterat per Decarcham, deferebatur ad Pentecontarcham, quod ab hoc non, ad Hecatontarcham, cui & hic impar erat, ad Chiliarcham: ab hoc tandem ad Moſen, à Moſe ad DEUM, Exercitus DOMINUM. Diuide numeris jam expoſitis integrum Iſraelitarum, qualis Ægypto egreſſus eſt, Exercitum, inuenies Chiliarchas 600. Hecatontarchas 6000. Pentecontarchas 12000. Decarchas 60000. Officiarios in uniuerſum 78600. Specialius adhuc determinat *Joſephus* præpoſitos numerans ſuper 10000. 1000. 500. 50. 30. 20. 10. Occurrit Textus *Ant. Jud.* L. III. c. 4. τὸν στρατὸν ἐξετάσεις ἀκριβῶς, καὶ κατὰ μυρίας τάττων κεκριμένας ἄρχοντας ἀποδείξεις. εἶτα κατὰ χιλίας. διαιρήσεις δὲ μετ' αὐτὰς πεντακοσίας, καὶ πάλιν ἐς ἑκατὸν, εἶτ' εἰς πεντήκοντα. Ἀρχοντάς τε ἐπὶ τούτοις τάξεις οἱ κατὰ τριάκοντα μεριοθέντας διακοσμήσουσι, καὶ κατὰ εἴκοσι καὶ δέκα συναριθμουμένους. ἔσω δέ τις ἐπὶ τούτοις εἰς τὴν προσηγορίαν ἀπὸ τῶν ἀρχομένων ἀριθμᾶ λαμβάνων. *Exercitum perfectè diſpone per dena millia viros, deinde per mille, ita poſt hæc diuides eos per quingentos, & rurſus in centum, deinde in quinquagenos, & judices conſtitues ſuper eos. Qui per triginta rurſum diuiſi, & per vicenos & denos, habebunt proprios Judices eorum negotia finientes. Sit autem aliquis ſuper illos unus, vocabulum à principio numeri ſumens.* Hinc *Zonaras* Jurisconſultus καὶ καλὰ μυρίας ἄρχοντας ἀποδεικνύειν τὸν γαμβρὸν συνεβούλευεν ὁ Ραγουὴλ. Εἶτα κατὰ χιλίας, καὶ κατὰ πεντακοσίας ἑτέρας ἐφιζᾶν. Καὶ ἐπὶ τούτοις ἑκατοντάρχας καὶ πεντηκοντάρχας ποιεῖν, καὶ ἐν τριάκοντα καὶ εἴκοσι, καὶ δέκα ἐφιζᾶν τὰς διακοσμήσαντας.

Silentio heic prætereunda non eſt Diuiſio decadica, nam bis 10. dant 20. ter 10. 30. quinquies 10. 50. decies 10. 100. decies 50. 500. decies 1000. 10000. Ad eundem modum Exercitum diſtribuiſſe dicitur *Magnorum*, uti

vocantur, *Chamorum* primus *Cangio*, & poſt eum *Tamerlanes*, nempe in 10. 100. 1000. 10000. Videre id eſt apud *Alhazen.* c. 5. Et mutuati fortè ſunt Tartari illi hunc Caſtrametationis ordinem ab ipſis Hebræis. Antiquior ſanè non eſt, quàm quem Scriptis ſuis tradit Moſes. Poteſt ita hæc, ad diſtinctionem *Græcæ* & *Romanæ*, jure vocari *Caſtrametatio Hebraica*, vel, ſi ita appellare lubeat, *Diuina*, & eo ipſo omnium perfectiſſima. Et denariam illam Progreſſionem, quæ ipſi Arithmeticæ dat fundamentum, haud turbat, quòd Moſes ponat Pentecontarchas medios inter Hecatontarchas & Decarchas, ſiue 50. inter 100. & 10. & *Joſephus* 1000. inter 500. & 10000. 30. & 20. inter 10. & 50. Fuerunt hi officiarii intermedii pariter & commodi & neceſſarii, uti hodie multitudo officiariorum haud turbat ordinem, imo vero duplicata ſæpe militiam tantò melius in ordine ſeruat. Ita occurrent in militia moderna poſt Imperatores, ſiue Duces ſupremos, les Generaux del' Armée, qui præficiuntur Exercitui integro, Camporum Mareſcalli, Brigardiers, qui proponuntur militibus 5000. Inter Chiliarchas ſeu *Colonellos* & Hecatontarchas ſeu Capitaneos, Colonellos Locotenentes, *Colonels Lieutenants*, inter Hecatontarchas & Decarchas, Capitaneos Locumtenentes, *des Capitains Lieutenants*, infra hos Locumtenentes, *des Lieutenants*, & Vexilliferos, des *Enſeignes*.

Habet ſanè decadica Exercitus diſtributio, & hac fundata Caſtrorum metatio, præ Græca, Romana, & quæ celebres olim cunque fuerunt aliæ, prærogatiuas inſignes, quas vel in Compendio ſiſtere operæ erit pretium. Δεκάδαρχος ſit *Simon Steuinus Caſtrametat.* c. 1. *Art.* 1. & c. 4. *Art.* 3. *Oper. Math.* p. 574. 596. Juxta hanc partitionem Milites, vel, ſi mauis, Patresfamiliàs in ſerie rectæ lineæ per Decades diſpoſiti facile potuerunt nominari omnes, primus, ſecundus, &c. Centenarii quiuis ſua habere vexilla minora, millenarii majora, decies mille maxima: Quilibet officiarius ab infimi generis Excubitoribus ad usque Præfectos Campi Generales, & ſi velis Generaliſſimos inſpectionem habet duntaxat 10. Hominum, commodam & facilem, Decarcha 10. militum, Hecatontarcha 10. Decarcharum, Chiliarcha 10. Hecatontarcharum, Præfectus cujusque Tribus in Chiliarchas, qui denarium numerum nullibi attingunt. Ita ſi quiuis officio ſuæ inſpectionis fungitur, omnia in campo etiam ampliſſimo erunt optimè diſpoſita. Par ratio eſt vel litium componendarum inter Milites, vel aliarum rerum foro officiariorum ſubjectarum: laborum ſuſcipiendorum, pro caſtrorum mutatione, operibus defenſiuis extruendis, foſſis cauandis: Memoria retineri poterat facile hæc partitio, ubique eadem, in Codicillis conſignari nomina tum Officiariorum, tum Militum, ſtipendia diſtribui, eorumque exacta teneri ratio: ad omne temporis momentum ſciri numerus, quid deficiat, quid exundet: quilibet officio ſuo alligari, in ſerie ſua, ne limites excedat, retineri, ſi fortè fugitiuus fiat, aut in auia diſcedat, obſeruari, caſtigandus pro ſuo merito; vexillis per numeros notatis quilibet militum illicò inueniri, cognitâ, de qua fuit, cohorte: ipſa Arma certis inſigniri, vel diſtingui, notis, ut ſtatim poſſet enuntiari, cujusnam præciſè eſſet militis, & e.g. 8.2.7.3. denotaret octauum ſeu militem, ſeu patremfamiliâs in ſecunda ſerie ſeptimæ cohortis, de tertia Chiliade. 7. 3. 5. haſtam Decurionis ſeu Excubitoris ſeptimæ ſeriei in tertia cohorte quintæ Chiliadis: 5.8. Hecatontarchæ ſeu Capitanei quintæ cohortis in octaua Chiliade. 7. Chiliarchæ ſeu Colonelli ordine ſeptimi. 0. denique Præfecti totius Militiæ generalis. Sic quoque præueniri poteſt alienationi vel ſuffurationi armorum. Porrò poſſunt breui tempore Milites informari in Armorum exercitio, quia quælibet Decas ſuum habet Excubitorem pro Informatore: currus ſeu vehicula alia commode diſpartiri, decem ſub Decurione, 100. ſub Hecatontarcha, & ſic porro, iisdem, quibus ſupra, numeris ſignata; imo & in ordine teneri.

TAB.



NUMER. Cap. II. v. 1-32.
Castra pro 200 Israelitis.

IV. Buch Mosis Cap. II. v. 1-32.
Lager vor 200 Israeliten.

M. Tyroff sculp.



NUMER. Cap. II. v. 1-32.
Castra pro 2500. Israelitis.

IV. Buch Mosis Cap. II. v. 1-32.
Lager vor 2500 Israeliten.

I. Stridbeck sculpt.

TAB. CCLXXXIX.

NUnc agitedum rem aggrediamur ipſam, poſituri ob oculos ejusmodi Schematismos, qui claram dabunt haud dubiè Caſtrametationis Iſraeliticæ Ideam. Heic majori Scalæ Geometricæ modulo ſiſtuntur milites, ſeu potius, Patresfamiliâs 200. totidem nempe Tentoria, quorum unum eſt J a b c. In hujusmodi tentoriis hodie locantur 8. incirca milites, unde hæc Figura contineret 1600. milites; heic vero in uno Tentorio loco patremfamiliâs cum ſua Familia, nunc majori, nunc minori, & filiis nunc majorennibus arma portantibus, nunc minorennibus armorum jure nondum donatis. Tentoria ſingula latus habent 8. pedum, aream proin 64. pedum quadratorum. J K. ſeriem exhibet Tentoriorum 10. His præpoſitus eſt Decarcha in ſuo Tentorio B d e f, ſpatio interjecto 8′. a g h i. viam deſignat inter duas Tentoriorum ſeries: hodie vocant *eine Compagnie Gaſs*. g h l k. ſunt duæ Tentoriorum ſeries dorſatim junctæ: ſingulis ſemper præfiguntur ſui Decuriones, juxta lineam B. A. ſeriatim poſiti. Poſt Militum Tentoria ſeriatim ſequuntur ſpatio interjecto 8′. F. F. Icoſiarchæ, 20. nempe Familiis præpoſiti, & rurſus poſt 8′. ſpatium Pentecontarchæ G G. 50. Tentoriis à K. ad m. præfixi. Rurſum interuallo 12. pedum interjecto ſequantur in amplioribus Tentoriis in linea H H. bini Hecatontarchæ, ſinguli 100. Tentoriis à K. ad n. præfecti, quorum latus 16′. omne hoc ſpatium A B L H. quod poſcunt 200. Patresfamiliarum commodè locandi eſt 38400. pedum quadratorum.

TAB. CCXC.

IN hac Tabula juxta minoris ſcalæ modulum diſpoſitos en patresfamiliâs 2500. nempe in ſpatio H H I I. 500. in linea A B. Decuriones K K. Icoſiarchas L L. Pentecontarchas. Inter E. & B. ſpatium adeſt 100. Pedum, commodum pro ſeparandis 500. quibusuis Tentoriis, locandis altioris ordinis officiariis, adornandis foris. C. Tentoria ſunt Præfectorum pro Tentoriis 500. M. pro Chiliarcha ſiue Colonello. N. pro Præfecto Campi hujus Generali. Horum Caſtrorum longitudo eſt F O. 456½′. Latitudo A F. 1300′. A F O E. ſpatium integrum pedum 593450. quadr. quod juxta priorem calculum poſceret 485000′. Rotundo numero poni poteſt, & ponetur in ſequentibus calculis 500000′.

Qui volet, delineabit Caſtra pro ſingulis Tribubus, minori adhuc adhibita ſcalâ, inuenietque pro

Ruben	9300000′.
Simeone	11886000.
Leuitis. Gerſonitis	1500000.
- - Kahathitis	1720000.
- - - - - Meraritis	1240000.
Juda	14920000.
Iſaſchar	10880000.
Gad	9120000.
Aſſer	8300000.
Manaſſe	6440000.
Ephraim	8100000.
Benjamin	7080000.
Dan	12540000.
Naphthali	10680000.

TAB. CCXCI.

LUbet tandem in unica Tabula ſiſtere tota Iſraelitarum Caſtra, prouti quidem ea videntur commoda. Hunc in finem opus habeo, ex ſpatiis præexpoſitis extrahere Radices Quadratas, ut ſingulis Tribubus adſignari queant vel Areæ quadratæ, vel Rectangula parallelogramma. Invenio autem ſequentes, pro

1. Ruben	3049.
3. Simeon	3443.
13. Gerſonitis	1224.
14. Kahathitis	1311.
15. Meraritis	1113.
4. Juda	3862.
5. Iſaſchar	3298.
6. Sebulon	3388.
2. Gad	3019.
7. Aſer	2880.
10. Manaſſe	2537.
11. Ephraim	2846.
12. Benjamin	2660.
8. Dan	3541.
9. Naphthali	3268.

In centro omnium Caſtrorum colloco Tabernaculum 100. cubitos longum, 50. latum: in diſtantia 840'. Caſtra Leuitarum, eo, quo deſcribuntur in Sacris, ſitu. Spatium Caſtrorum integrum inuenio 259600000. Caſtrorum autem ſupra definitorum pro ſingulis Tribubus ſummam inuenio pedum 125210000. Erit proin ſpatium inter Caſtra medium 134390000. Quod ſi cum *Eiſenſchmidio* pro Milliari antiquo Romano ponam 766. hexapodas Gallicas & 2. pedes, adeoque pro tali Milliari quadrato 21141604. pedes quadratos, continebit Exercitus Iſraeliticus 12. Milliaria Romana quadrata, & quod excurrit.

TAB. CCXCII.

Num. Cap. III. verſ. 39. 43.

39. Omnis autem cenſus Leuitarum, quos recenſuit Moſes & Aaron juxta juſſionem DOMINI per familias ſuas, omnes mares ab eo, qui fuit unius Menſis, & ſupra, fuerunt viginti duo millia.

43. Fueruntque omnia primogenita maſcula, juxta numerum nominum, ab eo, qui erat unius Menſis, & ſupra, juxta cenſum eorum viginti duo millia, ducenta & ſeptuaginta tria.

39. Omnes Leuitæ quos numerauerunt Moyſes & Aaron, juxta præceptum Domini, per familias ſuas in genere maſculino, à menſe uno & ſuprà, fuerunt viginti duo millia.

43. Et fuerunt maſculi per nomina ſua, à menſe uno & ſuprà, viginti duo millia ducenti ſeptuaginta tres.

OCcurrit heic nodus tantùm non inextricabilis. Supra

v. 22. Gerſonitæ numerantur	7500.
v. 28. Kahathitæ	8600.
v. 34. Meraritæ	6200.
qui ſummam conficiunt	22300.
quæ ſanè non congruit cum v. 39.	22000.

v. 43. extat numerus primogenitorum, nempe extra Tribum Leuiticam, DEO ex Lege deuotorum 22273. debebat proin juxta v. 46. à ſuperabundantibus 273. peti λύτρον, quod juxta v. 50. pro ſingulis perſonis 5. Sicli, faceret ſummam Siclorum 1365. ſiue Florenorum 1023. crucigerorum 35. Aſt ſi connumeres Leuitarum ſpecies, videbis 27. eſſe, qui redundant ſupra primogenitos, ut proin haud opus fuiſſet λύτρῳ, cujus tamen expreſſa fit mentio.

Nodum hunc ſeu ſoluunt, ſeu ſecant, Interpretes duplici fere modo. Non diſplicet *Clerico Comm.* in h. l. Interpretum explicatio, *in Leui-*



Numer. Cap. II. v. 1-32.
Tactica Israelitarum.

IV. Buch Mosis Cap. II. v. 1-32.
Israelitische Lager Ordnung.

J. Sandrart sculps.

NUMER. Cap. III. v. 39-43.
Numerus Levitarum.

IV. Buch Mosis Cap. III. v. 39. 43.
Zahl der Leviten.

M. Tyroff sculp.

NUMER. Cap. V. v. 17. 26-28.
Δοκιμασία suspectarum.

IV. Buch Mosis Cap. V. v. 17. 26-28.
Prüfung verdächtiger Weiber.

B. S. Sedlezkij sculp.

Leuitica Tribu 300. fuiſſe primogenitos, aut Sacerdotes, qui ſingulari jure DEO jam ſacri erant, ac proinde aliorum פדיה *eſſe non poterant, ut ii ex Leuitis, qui redimendis Iſraeliticis primogenitis apti erant, numero pauciores fuerint, quàm primogeniti reliquarum Tribuum.* Alii mendum in Codicem irrepſiſſe contendunt, & legendum v. 28. pro שש מאות *ſcheſch meoth.* 600. שלוש מאות *ſchaloſch meoth.* 300. Hanc opinionem ſuſtinet inprimis *Lud. Capellus*, quum contra *Joh. Buxtorffius* in *Anticritica ſacra* P. II. & Orthodoxi alii illis tantùm non crimen Sacrilegii imputent, qui vel punctum in codice ſacro mutare contendunt. *Moderationem Chriſtianam viris doctis ſuadet Ludolfus Comm. in Hiſt. Æth.* p. 83. *ne illicò damnent, aut ſacrilegii accuſent alios, ſi alicubi mendum Librarii interueniſſe putent, in cæteris autem integritatem & Sinceritatem S. Scripturæ in rebus Fidei & morum agnoſcant & defendant, quia ſcimus, nos autographa Prophetarum non habere, ſed apographis Hominum ab erroribus non immunium uti.* Sed tutius eſt, vel ad redimendam vexam, in quauis alia, vel probabili, explicatione acquieſcere, quàm in Textus mutatione Aſylum quærere.

TAB. CCXCIII.

Num. Cap. V. verſ. 17. 26. 27. 28.

17. Sumat inſuper Sacerdos Aquas ſacras in vaſe fictili, & de puluere, qui fuerit in pauimento Tabernaculi tollat Sacerdos, & ponat in Aquam.

26. Apprehendat quoque Sacerdos ex iſto Sacrificio cibario volam plenam ad monumentum ejus, incendetque in Ara, & poſthac det mulieri potum illius Aquæ.

27. Quum verò Aquas potauerit ſi fuerit polluta, & ſcelus deſignauerit aduerſus maritum ſuum, ingredientur in eam Aquæ iſtæ execrantes, ut amaricent, & intumeſcet venter ejus, cadetque femur ejus, erit Mulier illa execrata in medio populi ſui.

28. Si verò polluta non fuerit mulier hujusmodi, ſed munda, noxæ eximetur, & (a) fœcunda reddetur.

(a) Seminabitur ſemine.

17. Aſſumetque Aquam ſanctam in vaſe fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam.

26. Pugillum ſacrificii tollat de eo quod offertur, & incendat ſuper altare: & ſic potum det mulieri aquas amariſſimas.

27. Quas cum biberit, ſi polluta eſt, & contempto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computreſcet femur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo.

28. Quod ſi polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos.

EST, quod negari nequit, Imaginationis vis ingens, Affectuum Animi major. Exempla multa allegare haud opus: non tamen ea omittam, quæ ad rem faciunt præſentem. Perſuaſi ſunt multi, & è fæce populi, & ordinis altioris, poſſe Magiæ ope fures in certis ſaltem caſibus detegi, & angariari ita, ut res ablatas etiam in ſudorem acti reſtituere cogantur. Nec poſſunt non quos furti accuſat propria conſcientia, ſimulque de certitudine memoratarum modò operationum conuincit ſaltem Imaginatio, extra tranquillitatem poni, corde ſuo angi, imò ad ſudores diſponi, ut non degant prius ſecurè, quam reſtituerint ablata, perſuaſi ſcilicet, artibus illis, ſi fortè adhiberentur, & magis adhuc, ſi certò nouerint adhiberi, vel fuiſſe adhibitas, ſe poſſe reuocari & cogi ad reſtitutionem in priſtinum locum. Et noui, ſudaſſe ex hoc principio, qui res etiam leuiculas abſtule-

ſtulerunt alteri, præſente tertio, qui per jocum ſaltem ſe jactabat Artis hujusmodi reuocatoriæ magiſtrum. In hoc fortè artificio conſiſtit Capucinorum illa, ſi vera eſt, ablatorum manifeſtatio: Magiæ enim accuſare religioſos Patres non audeo, ſed nec perſuaderi poſſem, fieri, quæ de illis narrantur, per Miracula verè ita dicta. Ita, dicet quis, potuit vel ſola repræſentatio Proceſſus inſtituendi cum ſuſpecta, vel Proceſſus ipſe inſtitutus ita terrere Imaginationem, ut vel ante confeſſa fuerit crimen, quàm ad rem fuerit ventum, vel ex cauſis naturalibus ſequi funeſti illi, de quibus in Textu, effectus.

Confirmati facilè poterit in hac ſententia, qui Ceremoniale ipſum conſiderat, prouti id recutiti deſcribunt, in omnibus ſuis circumſtantiis. A prima Juris ſeu Tribunalis inferioris inſtantia mitti Hieroſolymam, Diuini Cultus, imo DEI ipſius ſedem; ſiſti coram Synedrio magno; blandis ibi verbis ad confeſſionem ſpontaneam diſponi; duci ab hoc ſupremo & formidando Tribunali ad Atrium exterius verſus Nicanoris Portam; imo non rectâ viâ, ſed per ambages circumduci; in ipſa via ab integro Comitatu angariari & laſſari, in loco ipſo diræ Executionis coram populo uniuerſo à Sacerdote denudari pectoretenus, veſtibus diſciſſis, velo Capitis orbari, & omni Capitis tegumento, crinibus expanſis inſtar Megæræ ſiſti, vel atra veſte, vel turpi & lacerâ indui; Inauribus aliisque ornamentis priuari; circa Ventrem loro ex ſaliceo vimine cingi; Zelotypiæ ſacrificium ex ipſius Mariti, forſan falſo Zelo abrepti, manibus recipere, idque oleo & Thure orbum, diu in conſpectu populi retinere; à Sacerdote de inſtanti proximè judicio Aquæ Amaræ admoneri; diris tandem, ſi rea fuerit, imprecationis verbis onerari: omnium adeò ludibrio, maledictionibus, criſi, Ignominiæ exponi. Hæc omnia, inquam, debebant in triſtiſſimam conſternationem dejicere vel conſtantiſſimam, imo & innocentiſſimæ Imaginationem & Affectus turbare ita, ut non mirum ſit, ſi rea, vel cujuscunque infidelitatis conſcia præ angore & terrore tantùm non conciderit, ſeu ſyncopica, ſeu mortua. Omnia hæc, ſi generatim conſiderentur, valent pro cauſis effectus naturalibus, & ſubſcribet, qui non ignorat Paſſionum Mentis ſtupendas in Corpus vires, & præterea conſiderat, vel ſolam conſtitutionem eſſe proſtitutionem.

Nihilominus cum aliis Interpretibus in ea ſum ſententia, interueniſſe heic aliquid, quod ſupra vires eſt Naturæ; Judicium diuinum, hujusque manifeſtationem ἀπὸ μηχανῆς. Colligo id tum ex Aquæ Maledictæ ingredientibus, tum ex Potus ipſius effectibus. Ingredientia fuere *Aqua Sacra* propinanda *una cum puluere, qui fuerit in pauimento Tabernaculi in vaſe fictili.* Pone etiam, quod Judæi nonnulli volunt, immiſcuiſſe Sacerdotem amari quid ex Abſinthio, vel abraſo Atramento ex charta pergamena, cui diræ maledictionis votum fuerat inſcriptum: harum cauſarum nondum video nexum cum inſecuta *Ventris intumeſcentia*, & *femoris caſu*, vel, quod Judæi addunt, ſubitanea Faciei & Oculorum intumeſcentia, corporis totius corrugatione, Hydrope, Lapſu, aut putreſcentia gangrænoſa uteri (nam יָרֵךְ *jarek* non ſemper notat Femur, ſed & partes genitales, vel Uterum, ut Gen. XLVI. 26. Exod. I. 5. Num. V. 22. *Bochart Hieroz.* P. II. L. V. c. 15.) Non equidem extra omne eſt dubium, quid intelligi debeat per *Femoris*, ſi hoc denotet יָרֵךְ *caſum*, an Luxatio & facilis ex Acetabulo prolapſus, vel Atrophia, & ex hac illaue cauſa orta Claudicatio? Naturales cauſæ ſuos in corpora naturalia habent naturales effectus, ſeu rea ſit criminis, ſeu innocens perſona. Et ſanè ludibrio fuiſſet expoſita ipſa DEI Lex, ſi vel non habuiſſet, quos interminatus fuit Legislator, Aqua maledicta in reis effectus, vel exercuiſſet in innocentibus. Stringeret adhuc magis hæc argumentatio, ſi etiam in rea caruiſſet potus ſuo effectu, marito ipſo ejusdem criminis conſcio. vid. *Miſchna Sota* c. 4. *Sect.* I. 2. 3. 4. 5. cum *Wagenſeilii notis* in ejusdem not. 2. ad *Miſchna Sota* c. 1. *Sect.* I. *Selden uxor Hebr.* L. III. c. 13. & de integro hocce Proceſſu *Lund. Levit. Prieſter.* L. III. c. 55.

Redeo iterum ad cauſas Phyſicas, non coacturus nebulas, ſed diſſipaturus, præeunte Cel. *Mich. Frid. Lochnero* Tract. eruditiſſimo *de Nerio* p. 83. Poſſet quis conjectare, fuiſſe Aquas illas docimaſticas amaras redditas per *Hirdophnen*, ſiue *Ardiphnen*, *Rhododendron*, quæ Planta Herbis quoque Paſchalibus addita iis inſuper prædita ſit qualitatibus vere deleteriis, quæ Symptomata recenſita cauſari potuerit. Audiamus *Santen Ardoinum de Venen.* L. III. c. 21. *Natura Oleandri ſiue Nerii eſt valde reſolutiua, & mordicatiua & inciſiua, cum venenoſa proprietate, adeò ut bibere Aquam, in qua naſcitur, aut ab ipſo obumbratur, aut in ipſa balneari, aut bibere de Aqua calefacta cum ipſo, aut balneari in Aqua, ſeu balneo calefacto cum eo, aut comedere aliquid aſſatum in veru ex eo facto, & diu morari, & præſertim dormire ſub umbra ejus, inducat accidentia infra ſcripta: nempe anguſtia vehemens, rugitus, inflatio ventris, dolor ventris, alienatio mentis, æſtuatio & inflammatio, & Ventris fluxus, & Syncope & Mors, niſi ſuccurratur.* Nerii vulgaris Icon quia alibi eſt expoſita, impræſentiarum ſiſto ex Illuſtris *Sloane Hiſt. Nat. Jamaic. Vol.* II. p. 62. Tab. 186. Fig. 2. *Nerium arboreum folio latiore obtuſo flore luteo minore* Fig. A. Et Venenum Aquis iſtis immiſtum fuiſſe prætendit R. *Solomon Zirza* in explic. Comment. Abenezræ in Pentateuch. *Fons vitæ* inſcript. fol. 91. Conjecturam hanc ſubruit præter ſilentium Scripturæ, & Optimorum quorumcunque Interpretum authoritatem vel id, quod nondum, vel ſuppoſitâ Nerii commiſtione,

NUMER. Cap. VI. v. 2. 3. 4.
Leges Naziræorum.

IV. Buch Mosis Cap. VI. v. 2. 3. 4.
Gesetze der Nazireer.

G. D. Heüman sculps.

ne, exinde deduci queant Symptomata, quorum expreſſa in Sacris fit mentio, & heic rurſum miraculoſus fuiſſet effectus tam in rea, quàm in innocenti. Placet *Lochnero*, Amico dum viueret conjunctiſſimo, *Auguſti Varenii* ſequens ἐπίκρισις. *Non equidem gratus palato poterat eſſe confectus de ſordido puluere, & abluto atro charactere potus, juxta facultatem naturalem, quam habiturus erat, ex confectione ſuperiori æſtimatus: dubium tamen, an propterea amariſſimus. Nihil obſtabit intelligere Aquas illas nec ex facultate naturali, nec ex indita ſupernaturali abſolute, ſed indita per verbum reſpectiue, nonniſi in ſubjecto reo exercenda dici, prout* מאררים *ſeu execrationem inducentes, ita &* מרים *id eſt amaras ratione ſcilicet exiſtentiæ in applicatione ad ream. Cum contra innocenti bibenti nec eſſent amaræ, nec execrationis inductiuæ, pro quo facit vehementer poſitus vocis* למרים *in v. 24. & 27. & præcedens hic Paſchta accentus.* Sed ego capere nequeo, quid ſit, *nec ex indita ſupernaturali abſolute, ſed indita per verbum reſpectiue facultate.*

Occurrunt docimaſiæ ſuſpectorum non duntaxat in Judaismo, ſed quoque in Gentilismo, imo medio Chriſtianismo, ſed hæ ſuperſtitioſæ, quibus non tam veritas elicitur, quàm DEI potentia tentatur atque irritatur. Aquæ Zelotypiæ ſimia fuit ὕδωρ τῆς ἐλέγχου, *Aqua redargutionis*, quâ in perjurii ſuſpicione utebantur Gentiles, teſte *Philoſtrato vit. Apollon.* L. I. c. 6. Aqua nempe juxta *Thiana Asbamœa* dicta, *quæ Juramenti fidem præſtantibus aſpectu placida & guſtu dulcis, at perjurii reis palam aduerſatur. Epota namque oculos pedesque ac manus pejerantis inuadit: puſtulis ac vomicis totum corpus inquinans.* Qui idem *Philoſtratus* L. III. c. 15. ex *Porphyrio* meminit λίμνης δοκιμαστηρίου, *Lacus probationis* apud Indos. In *Macrobii Saturnal.* L. V. c. 19. memorantur porrò Aquæ in Sicilia Furti ſuſpicionem dirimentes. Et apud *Pauſaniam.* L. VII. Sacerdotiſſæ Græcorum ſcortationis inſimulatæ, quæ Taurini Sanguinis hauſtu probari ſolebant; *eo epoto*, inquit, *ſi legi* (de caſtitate colenda) *fraudem fecerit*, αὐτίκα ἐκ τότε τὴν δίκην ἔχει, *flagitium è veſtigio morte luit.* In mediis tandem Seculis innumera proſtant Exempla Probationum per Ignem, & modos alios, quæ nunc, diſſipatâ prorſus, vel fraude, vel Ignorantia, ceſſant.

TAB. CCXCIV.

Num. Cap. VI. verſ. 2. 3. 4.

2. Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos, Vir ſiue mulier ſi diſerte vouerint votum Naſir, (a) ut ſeparent DOMINO.

(a) Naſir, ſeparatus, conſecratus, ſegregatus.

3. A vino & Sicera abſtineat, Acetum Siceræ & vini non bibat, imo quicquid reliquum eſt ex uuis non bibat, præterea nec recentes uuas nec paſſas comedet.

4. Idque toto tempore, quo ipſe Naſir eſt: Nihil denique edat, quod fit è Vite vinifera, ſiue acini ſint, ſiue vinacea.

2. Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Vir ſiue mulier cum fecerint votum, ut ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare.

3. A vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia portione, & quicquid de uua exprimitur, non bibent, uuas recentes ſiccasque non comedent.

4. Cunctis diebus, quibus ex voto Domino conſecrantur, quicquid ex vinea eſſe poteſt, ab uua paſſa usque ad acinum, non comedent.

MEum non eſt, integram explicare *Naziræorum* Hominum DEI ſeruitio deuotorum Hiſtoriam, imo nec licet eſſe diffuſiori in iis, quæ mei ſunt fori, abſtinentia nempe à Vino, & omni eo, quod è Vite prodit, quandoquidem hanc materiam ex profeſſo tractaui ad Leuit. X. 9. Res paucis huc redit: Debebat votum, quo ſe quispiam DEO mancipauit, memoriâ nunquam excidere, vitari omni cura omne id, quod perennem hanc commemorationem & voti & officii quouis modo interturbare poſſet: talia autem ſunt, ex rationibus allegatis, Vinum, Acetum, & omne, quod ex almæ vitis fructibus conficitur. Eò autem ſeſe extendit rigor, ſi rigor eſt, Legis, ut non

ad Acetum duntaxat deſcendat, ſed quoque ad ipſas uuarum baccas, imò Uuas paſſas. Debebat quippe Naziræus euitare, quod ad Ebrietatem diſponere, vel ſtimulare poterat cunque, quaslibet cauſas occaſionales, quemadmodum Chriſtiani ἀπὸ παντὸς εἴδες πονηρᾶ ἀπέχεσθαι. 1. Theſſ. V. 22. Ita Simſonis Genitrici injunctum erat, ne in imprægnationis ſtatu *vinum biberet aut Siceram, & nihil, quod immundum eſt comederet.* Jud. XIII. 4. Extendebant Karræi ſiue Sadducæi, & jure, hoc Præceptum ad Hydromel, Pomacea & Pyracea, reliquis Judæis manentibus in Vite, de qua, an fuerit Scientiæ Boni & Mali Arbor illa, ſicque Naziræi debuerint fatalem illum Generis Humani Lapſum & ſibi & aliis ſiſtere ob oculos, aliis vel judicandum, vel ſomniandum linquo.

v. 3. מִשְׁרַת אֲנָבִים *miſchrath anabim*, LXX. vertunt, ὅσα κατεργάζεται ἐκ ϛαφυλῆς, Vulgata, *quidquid exprimitur*, Latina noſtra, quidquid *reliquum eſt ex uuis:* indiſtincte melius Vernacula noſtra, *was aus Weinbeeren gezogen wird*, omne id nempe, quod Arte ſeu Pharmaceutica, ſeu coquinaria, ex Uuis poteſt confici, omnia Electuaria, Tincturæ, Condita.

TAB. CCXCV.

Num. Cap. VII. verſ. 84. 85. 86.

84. Hæc fuit initiatio Aræ in die, quo fuit inuncta, à Principibus ſcilicet Iſraelis, catini argentei duodecim, phialæ argenteæ duodecim, cochlearia aurea duodecim.

85. Centum & triginta (Siclos habuit) catinus unus, phiala vero una ſeptuaginta, omniaque vaſa argentea bis mille, & quadringentos, juxta Siclum Sanctuarii.

86. Cochlearium verò aureorum duodecim fuerunt plena ſuffitus, ſingula verò decem (fuerunt Siclorum) juxta Siclum Sanctuarii: Porrò uniuerſum Aurum cochlearium fuit centum & viginti (Siclorum).

84. Hæc in dedicationem Altaris oblata ſunt à principibus Iſrael, in die, qua conſecratum eſt: acetabula argentea duodecim: phialæ argenteæ duodecim; mortariola aurea duodecim.

85. Ita ut centum triginta Siclos argenti haberet unum acetabulum, & ſeptuaginta Siclos haberet una phiala: id eſt, in commune vaſorum omnium ex argento Siclis duo millia quadringenti pondere Sanctuarii.

86. Mortariola aurea duodecim plena incenſo, denos ſiclos appendentia, pondere Sanctuarii: id eſt, ſimul auri Sicli centum viginti.

COntinetur his Verſiculis ſumma Donorum, quæ ſponte offerebant Tribuum Principes, quiuis nempe catinum argenteum 130. Siclorum, qui reducti ad pondus Medicinale faciunt uncias 61. drachmas 4. ſcrup. 1. gran. 17.
porro phialam 70. Siclorum, qui dant
- - - 33. - - - 5. - - 0. - - - 3.
tandem cochlear aureum 10. Siclorum, qui efficiunt
- - - 4. - - - 1. - - 0. —— 9.

Omne proin Argentum à Principibus 12. allatum fuit Siclorum Argenteorum 2400. aureorum 120. Summa

Catinorum 12. unc. 738. dr. 7. ſcrup. 1. gr. 4.
Phialarum 12. - - 400. - 4. - - 1. - 16.

Argenti Summa - 1139. - 4. - - 0. - 0.
Cochlearia 12. aurea 49. - 5. - - 2. - 8.
Siclo nempe computato pro drachmis 3. ſcrup. 2. gr. 8, 90.

TAB.

NUMER. Cap. VII. v. 84. 85. 86.
Principum Iſraelis donaria.

IV. Buch Moſis Cap. VII. v. 84. 85. 86.
Geſchencke der Iſraelitiſchen Fürſten.

I.G. Thelot sculps.

NUMER. Cap. XI. v. 1, 2, 3.
Θεσπιδαὲς πῦρ.

IV. Buch Mosis Cap. XI. v. 1, 2, 3.
Himliſches Nachfeuer.

G. D. Heiman sculp.

TAB. CCXCVI.

Num. Cap. XI. verſ. 1. 2. 3.

1. Contigit autem quum populus moleſtiam & dolorem quendam cauſaretur, ut ea res diſpliceret in auribus DOMINI. Quumque DOMINUS audiret, exarſit furor ejus, & incenſus eſt Ignis DOMINI in eos, deuorauitque partem Caſtrorum.
2. Et clamauit populus ad Moſen, orante autem Moſe ad DOMINUM reſedit Ignis.
3. Et vocatum eſt nomen illius loci Tabera, eò quod Ignis DOMINI in eos deflagraſſet.

1. Interea ortum eſt murmur populi, quaſi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cum audiſſet Dominus, iratus eſt; & accenſus in eos Ignis Domini, deuorauit extremam Caſtrorum partem.
2. Cumque clamaſſet populus ad Moyſen, orauit Moyſes ad Dominum, & abſorptus eſt Ignis.
3. Vocauitque nomen loci illius, incenſio: eo quod ſuccenſus fuiſſet contra eos Ignis Domini.

MUrmurat Populus, vel ob viæ moleſtiam, vel, quod ex v. 4. colligere licet, cibos, qui non aderant, concupitos. Et en, DEUS promptè adeſt, juſtiſſimus murmuris omnisque Rebellionis vindex, in promptu eſt totum Naturæ Armamentarium, è quo jubetur vindictam exſerere Ignis. *Exarſit furor ejus* (qui ipſe eſt Ignis conſumens) *& accenſus eſt Ignis DOMINI in eos, deuorauitque partem Caſtrorum.* Commentarius in hunc Locum eſt Pſ. LXXVIII. 20. 21. ubi Pſaltes cauſam occaſionalem, perduellionis crimen pœnæ nectit. *En Petram percuſſit, & effluxerunt aquæ, & fluuii inundarunt, num & Panem dare poterit? Num parare carnes poterit populo ſuo? Idcirco DOMINUS hæc audiuit, & exarſit, & ſuccenſus eſt Ignis contra Jacob, & Ira contra Iſraelem aſcendit.* Exſeruit hic Ignis vires ſuas בִּקְצֵה הַמַּחֲנֶה *biktſe hamachneh*, quæ verba reddit Vernacula noſtra per extrema caſtra, extremitates Caſtrorum, *die äuſſerſte Lager*, rectius Latina, *per partem Caſtrorum.* Fortè enim hic Ignis non in extremis duntaxat Caſtris, ſed hinc inde per tota Caſtra exardeſcens pœnas de perduellionis reis ſumſit; Lucem huic Interpretationi fœnerantur ſequentia Loca; Pſ. XIX. 4. *In fines Orbis* (al. *in extrema orbis*) בִּקְצֵה תֵבֵל *exierunt verba eorum*, id eſt, *per uniuerſam Terram.* Notum enim vel ex primis Geographiæ rudimentis, nullibi eſſe Terræ extremum, vel ubiuis. Gen. XIX. 4. *Uniuerſa Plebs* (Sodomæ) *undique cinxerunt domum ab extremis locis urbis* מִקָּצֵה id eſt, ex tota urbe, circumdatura domum Lothi. *(viri ciuitatis vallauerunt domum à puero usque ad ſenem, omnis populus ſimul.)* Gen. XLVII. 2. *Accipiens autem* (Joſeph) *quosdam è fratribus ſuis (extremos fratrum ſuorum)* מִקְצֵה אֶחָיו de extremitate fratrum ſuorum, i. e. ex omnibus fratribus. Jeſ. LVI. 11. *quisque viam ſuam ſpectat, quisque à termino ſuo. (Omnes in viam ſuam declinauerunt, unusquisque ad auaritiam ſuam, à ſummo usque ad nouiſſimum)* מִקְצֵהוּ ab extremo ejus, i. e. ad unum omnes, *ad emolumentum ſuum propenſus eſt.*

Qualisnam hic fuerit *Ignis*, non exprimitur, an *Fulmen*, quod paſſim in Sacris nomine venit *Ignis de cœlo?* an, quod vero eſt ſimilius, *Ventus urens*, καύσων, *Preſter*, itinerantibus per Ægyptum, Æthiopiam, Arabiam, adhucdum infeſtus? quo Plantæ torrentur illicò. Huc pertinet Ezech. XIX. 12. *Ventus Orientalis exiccauit fructum ejus, conuulſæ atque arefactæ ſunt virgæ fortitudinis ejus, Ignis abſumpſit eas. (ventus urens ſiccauit fructum ejus; marcuerunt & arefactæ ſunt virgæ roboris ejus: ignis comedit eam)* Non duntaxat eſt hujusmodi Ventus ſiccus & exſiccans, utpote à Meridie vel Euro per Terras aridas ſpirans, ſed quoque urens, corporibus Hominum & Animantium lethalis, ſecum vehens Aerem nimis rarefactum, Reſpirationi & Vitæ ineptum, ſuffocantem ſubitò, contra quem non aliud eſt itinerantibus remedium, quàm ut illo aduentante ſeſe in Terram proſternant, absque mora, usque dum transierit. Ab hujusmodi Vento feruido urente, quod memorat *Thevenot. voyag.* P. I. L. II. c. 34. A. 1658. una nocte periere 20000. Homi-

num. Ne quis autem exiſtimet, elidi hac interpretatione Miraculum, vel diminui. Non caſu exortus eſt hic Preſter, ſed connexus eſt cum cauſa morali. Anſam dedit Iſraelitarum murmur: id Venti hujus ſubſidio debebat ſiſti, rebelles debitas luere pœnas. Adde, quod legitur v. 2. *Clamauit populus ad Moſen, orante autem Moſe ad DOMINUM reſedit Ignis*, ſubſedit exitialis Ventus.

TAB. CCXCVII. CCXCVIII.

Num. Cap. XI. verſ. 4. 5.

4. Porrò vulgus promiſcuum, quod erat inter eos, concupiſcentia exarſerant, fleueruntque denuo, quin & filii Iſrael (concupierunt & fleuerunt) dicentes: Quis paſcit nos carnibus?
5. In memoriam nobis redeunt Piſces, quos comedebamus in Ægypto gratis, deinde & Cucumeres, & Pepones, Porrum, Cepe & Allia.

4. Vulgus quippe promiſcuum, quod aſcenderat cum eis, flagrauit deſiderio ſedens & flens, junctis ſibi pariter filiis Iſrael, & ait: Quis dabit nobis ad veſcendum carnes?
5. Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe & allia.

GRauiſſimum hoc imæ Iſraeliticæ Plebis אסַפְסֻף, *de la Canaille* (quorum numerus, Ducibus *Jannes* & *Jambres* extenditur ad 40000. à Judæis) Peccatum his verbis exprimit Regius Pſaltes, Pſal. LXXVIII. 18. 19. 20. *Et tentauerunt DEUM in corde ſuo, quum poſcerent cibum animabus ſuis; Et contra DEUM loquuti ſunt, dicentes: Num poteſt DEUS menſam inſtruere in Deſerto? En Petram percuſſit, & efluxerunt Aquæ, & fluuii inundarunt, num & Panem dare poterit? Num parare Carnes poterit populo ſuo?* En horrendam, ultimo excidio dignam, ingratitudinem! inſanam Rebellionem! Metantur Caſtra, figunt, mutant, plena gaudentes libertate atque ſecuritate, ſub DEI immediato tutamine, qui ipſorum erat Legislator, Creator, ὁδηγὸς, & viæ & totius Exercitus Dux, & tamen Ægyptiam, diram illam atque intolerabilem concupiſcunt Seruitutem, quæ toties ac toties animas anxit, ſudores extorſit. Mundanæ colluuiei Symbolum & Exemplar, quæ præterita, licet pejora præferre ſolet & præſentibus & futuris, ad declinandam obligationem, quæ pro præteritis nulla apud ingratos. Illucebant Iſraelitis diu noctuque euidentiſſima Præſentiæ Diuinæ ſigna in Columna Nubis & Ignis, imo DEUM ipſum videbant quaſi in ſpeculo: fruuntur bonis & temporalibus & ſpiritualibus, ut rariſſimis, ita & pretioſiſſimis, & tamen delectantur magis vel ſolâ ideâ Piſcium, Cucurbitarum, Cucumerum & Ceparum Ægypti. En triſtiſſimum corruptionis noſtræ Exemplum, qui Ens Rationis præferimus reali, Nihilum Alicui, Terram Cœlo, Vitæ Mortem! Colligunt in dies Mannam cœleſtem, & planè miraculoſam, Ventrem replent ad ſatietatem usque delicatiſſimo hoc cibo, quem nec Patres guſtarunt, nec Poſteri, & ecce! deſiderant inſuper Carnes! Vermiculi Terræ, qui DEO ſuo Creatori, Conſeruatori, Redemptori, Leges præſcribunt, *auerſi tentant DEUM, Sanctumque Iſraelis circumſcribunt.* Pſal. LXXVIII. 41. *(Et conuerſi ſunt, & tentauerunt DEUM: & ſanctum Iſrael exacerbauerunt)* id eſt, immenſam DEI potentiam circello cerebroſæ ſuæ impudentiæ inſcribunt. Auget criminis Perduellionis atrocitatem, quod ea, de qua nunc, Hiſtoria altera ſit, differens ab illa, quæ recenſetur Exod. XVI. Anno integro: Hæc quippe contigit ante annum in Deſerto Sin die 15. ſecundi Menſis, primo ab ἐξόδῳ Anno, antequam venerant ad Sinai Montem: illa verò ſub finem ſecundi Menſis anno ſecundo in Kibroth thaaua: ibi ſeu Coturnices ſeu Locuſtas comedebant unico duntaxat die, hîc cibantur iis per integri Menſis decurſum.

In Ægypto, quod haud diffitendum, ſuppetebant *Piſces* abundè, ut nullo penè haberi potuerint pretio. Dabant hos miſſus Maria, Mediterraneum & Rubrum, ipſeque Nilus, πολλὴν δαψιλείαν παρεχομένε τὲ ποταμὲ, καὶ μάλιοθ' ὅτι, μετὰ τὴν ἀνάβασιν, ταπεινόμενος ἀνεξηράνοιτο, *magnam* (piſcium) *copiam præbente fluuio, præſertim cum poſt*

NUMER. Cap. XI. v. 4. 5.
Cucumis, Melo.

IV. Buch Mosis Cap. XI. v. 4. 5.
Kürbsen, Melonen.

I. G. Pintz sculps.

NUMER. Cap. XI. v. 4. 5.
Anguria.

IV. Buch Mosis Cap. XI. v. 4. 5.
Angurien, Citrüll.

G. D. Nesenthaler sculp.

poſt auctum minutus exſiccatur. Diodor. L. I. Hodieque *in locis prope Mare poſitis omnia Piſcium genera in multa copia optima reperiuntur, quibus omnibus Ægyptii veſcuntur ſalitis quàm maximè. Alpin. Medicin. Ægypt.* L. I. c. 10. qui Piſces in Nilo naſcentes, tametſi ſint pingues & guſtui ſuaues, ad ſanitatem tuendam peſſimos putat, quia flumen illud ſaxoſum fundum non habet, ſed limoſum, neque admodum celeri ac vehementi motu agitatur, ut Aqua ipſa limoſa atque cœnoſa exiſtat.

Plantarum hortenſium, fructuum domeſticorum, & neceſſario uſui & luxui inſeruientium nullam fuiſſe in Ægypto penuriam, vel ipſe Textus noſter probat, nullam eſſe Experientia, & vel ipſe *Proſperi Alpini de Plantis Ægypti* egregius Liber ſatis docet ſuperque. Memorantur v. 5. קִשֻּׁאִים *Kiſchyim, Cucumeres* ex plerorumque Interpretum Mente: quos ſequuntur ſtatim אֲבַטִּחִים *abatichim, Pepones.* LXX. bina hæc Fructuum genera exprimunt per σικύας καὶ πέπονες, Nos, *Kürbſen und Pfeben*, melius, *Kürbſen und Melonen.* Notandum heic, intelligi debere non tam Cucumeres & Cucurbitas nobis Europæis communes, quæ in Orientalibus illis Regionibus inſeruiunt ſaginandis Porcis potius, quàm cibandis Hominibus, ſed Cucurbitaceos fructus quosuis delicatiſſimos. Omnes quippe Cucurbitaceas Plantas Veteres exprimere ſolebant generatim per σικύας καὶ πέπονες, σικύας καὶ μηλοπέπονες, *Cucumeres & Pepones, Cucumeres & Melopepones*, quod ex *Palladio*, Auctore *Georgicarum Eclogarum* Græco aliisque probat *Salmaſius Hyle Jatr.* c. 35. p. 37. & *in Solin.* p. 728. Ut poſtera demum Ætas his nominibus ſpeciales junxerit Ideas ſeu Characteres. Siniſtræ ſunt famæ *Cucumeres* apud *Columellam.*

Liuidus at Cucumis, grauida qui naſcitur aluo,
Hirtus, & ut Coluber nodoſo gramine tectus
Ventre cubat flexo ſemper collectus in orbem,
Noxius exacuit morbos æſtatis iniquæ.

Nec magni ſunt æſtimii hodie, ut in Menſis vix compareant niſi tenelli, immaturi & virides, imò & olim, quod iterum ex *Columella* conſtat. *In Italia virides & minimi, in Prouinciis quàm maximi & cerini aut nigri placent.* Cucumeres ſi heic admittamus, (ut ſane קִשֻּׁא, vel קִשּׁוּאָה Hebræorum, *Kattſæa* Arabum בוּצִינָא *botſina* Chaldæorum notat & Cucumerem) in cenſum venire poteſt genus illud Ægyptiis *Chate* vocatum. Fig. A. quod deſcribit *Alpinus* Lib. cit. p. 114. *à communi Cucumere differt magnitudine, colore & mollitie, utpote folia habens minora, albiora, molliora atque rotundiora, fructusque producit admodùm à noſtratibus differentes, bis longiores, viridiores, ac cortice plano, molli, æquali: guſtui ſunt dulciores, atque concoctu faciliores. Horum uſum corporibus in cibo ipſis tum crudis tum coctis veſcentibus ſalubrem eſſe apud omnes eorum locorum incolas creditur.* Eſt hic *Cucumis Ægyptius rotundifolius.* C. B. *Cucumis Ægyptius Chate.* I. B. quæ vox *Chate* quodammodo eſt affinis noſtræ Hebraicæ, affinior Arabicæ.

Cucumeribus delicatiores longè ſunt *Melones*, contracta voce, ſeu *Melopepones, Pepones*, veteribus Græcis σίκυοι σπερματίαι, quod iterum probat *Salmaſius Hyl. Jatr.* p. 38. Hos à Cucumeribus ætate quidem, non genere diſtinxit Antiquitas. *Copioſiſſimi* (Cucumeres) *in Africa, grandiſſimi in Aſia, ubi cum magnitudine exceſſere Pepones vocantur.* Notat Græcis in genere πέπων, quod tenerum, delicatum, benè excoctum, ſuccoſum, unde Prouerbium, ὦ πέπων, de alloquio dulci, miti, humano, quale inprimis expectandum à viris ætate grauibus, experientia claris. *Pepones* ſanè longè melius audiunt ipſis Veteribus quàm *Cucumeres. Columella* iterum

Atqui ſub trichila manantem repit ad undam,
Labentemque ſequens nimio tenuatur amore,
Candidus, & fœtæ tremebundior ubere Porcæ,
Mollior infuſo calathis modo lacte gelato.
Dulcis erit, riguoque madeſcit luteus aruo,
Et feret auxilium quondam mortalibus ægris.

De *Melonibus Ægyptiorum* hæc habet *Alpinus Plant. Æg.* p. 115. *Ex Melonibus quosdam à noſtratibus planè diuerſos Ægyptii habent, quos Abdellaui vocant, ad differentiam aliorum, quos etiam Chajar nominant, quorum uſus ad cibum haud multum jucundus percipitur, cæterisque omnibus inſipidiores, ac molliori pulpa obſeruantur.* Vocatur hic *Melo Ægyptius* C. B. *Melo Abdelaui Ægyptiis* I. B. Sed nec omittendæ ſunt *Anguriæ*, fructus unus ex delicatiſſimis, qui inprimis ſaliuam poterat mouere Iſraelitis. De his ita laudatus *Alpinus. Habent* (Ægyptii) *Angurias nonniſi magnitudine quoad aſpectum differentes, noſtris quidem majores, cortice flauiore, quæ intus ſemina tantum, & Aquam dulciſſimam continent, quam ad ſitim arcendam, caloremque multum in Stomacho, vel Hepate, vel Renibus corrigendum largius epotant. — Turcæ, Ægyptii, Arabesque laſciuiorem vitam agentes per Æſtatis ſummos calores harum Anguriarum Aquam in potu frequentant, eique aliqui modicum Aquæ Roſaceæ, Moſchi atque Ambræ miſcent. His aduenas honorare conſuetudo Ægyptiis eſt, eas ſcilicet edendas obferentes.* Placerent mihi pro קִשֻּׁאִים & אֲבַטִּחִים *Melones* & *Anguriæ. Melonem* Ægyptiis *Abdellaui* dictum exhibet Fig. B. *Anguriam* eamque *Citrullus dictam* C. B. quam

pro Arabum *Battecha*, proin pro Hebræorum *abatichim*, agnoſcunt Botanici, ut *Anguria Indica ſeu Melo aquaticus Tournef.* eſt *Citrullo affinis Melo Indicus ſiue Patheca* I. B. Fig. C. Tab. 298. Moderni Botanici diſtinguunt in Characteribus *Cucumerem* Fig. D. *Melonem* Fig. E. *Peponem* Fig. F. *Melopeponem* Fig. G. *Anguriam* Fig. H.

TAB. CCXCIX.

SEquitur inter delicias Ægypti חָצִיר *hatſir*, quod reddimus *Porrum*, *Lauch*, *Onkelos* כרתי *crathe*, cui affine eſt Græcorum Κορσίον, Κορσέον, qua voce Ægyptii nominabant Radicem *Loti*, Plantæ in paludibus Ægypti paſſim obuiæ, tanti Romanorum tempore in Ægypto & Africa æſtimii, ut in Ægyptiis Numismatibus compareat perſæpe, imo & in Italia titulo *Fabæ Græcæ* magni habita fuerit. *Lotus ſiue Faba Græca, quam Romæ à ſuauitate fructus ſilueſtris quidem ſed Ceraſorum penè natura Loton appellant. Plin.* L. XVI. c. 30. Quid quod Diis ſacra fuerit. *Homerus* ſanè *inter herbas ſubnaſcentes Deorum voluptati Loton primam nominauit* II. L. XXII. c. 21. Hanc Plantam *Alpinus Plant. Ægypt.* p. 103. eandem vult cum *Nymphæa alba*, quæ proin non in Ægypto duntaxat & Italia, ſed & frigidioribus noſtris Climatibus naſcitur, & de hac affirmat, *Ægyptios caules crudos cum ſuis capitibus per Æſtatis calores mandere, ſubdulces enim ſunt atque humidi, admodumque refrigerant & humectant, quos appellant Razelnil*, cujus vocis obſeruanda ὡς ἐν παρόδῳ affinitas quædam cum חָצִיר. Diſtinguunt Veteres Scriptores *Loton* herbam à *Loto* Arbore. Noſtrum non eſt, in omnia utriusque inquirere genera, præprimis quia nondum conſtat, an חָצִיר ſit *Lotus*. Fuit ſpecies, ex qua Ægyptii parabant potum, γίνεται δὲ οἶνος ἐξ αὐτῆς βρεχομένης καὶ ἡριβομένης δι' ὕδατος κατὰ τὴν γεῦσιν ἡδὺς καὶ ἀπολαυστικὸς, οἰνομέλιτι χρηστῷ παραπλήσιος, ἃ δύναται δὲ πλέον δέκα μένειν ἡμερῶν. Ita *Polybius*, ex *Polybio Nepos*, ex Nepote *Plinius*, *vinum quoque exprimitur illi ſimile mulſo, quod ultra denos dies negat durare Nepos, baccasque contuſas cum Alica cibos doliis condi* L. XIII. c. 17. Quidquid tandem ſit, vero id videtur ſimile, חָצִיר non eſſe *Porrum*, ſed Ægyptiam quandam Plantam delicati ſaporis. Loti Arboris Iconem dedi Tab. CIII. *Nymphæam* eamque *albam majorem* C. B. exhibeo Fig. I. cum ſuis characteribus ad marginem. *Porrum* autem, idque *commune capitatum* ſiue *ſectiuum latifolium* C. B. πράσον κειρόμενον vel καρτὸν *Theophr. Cauſ.* II. 20. III. 21. cum ſuo Charactere Fig. K. ubi adjectiuum καρτὸν affine equidem eſt Chaldæo *crathe*.

TAB. CCC.

CAtalogum deſideratorum claudunt בְּצָלִים *betſalim* & שׁוּמִים *ſchumim*, nobis *Cepe* & *Allia*, *Zwibelen und Knoblauch*. De utraque hac Planta haud eſt dubium, quin maximi fuerint habitæ in Ægypto, &, ſi *Plinio* atque *Juuenali* fides, deificatæ. Ille L. XIX. c. 6. *Allium Cœpasque inter Deos in jurejurando habet Ægyptus*. Hic *Sat.* XV.

> Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
> Ægyptus portenta colat - - - -
> Porrum & Cæpe nefas violare & frangere morſu.
> O ſanctas Gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis Numina.

Suboriri heic poſſet alicui, an licitum fuerit Iſraelitis ſeu violare, ſeu edere, Ægyptiorum Deos? Sed oſtendit *Dauid Clericus Quæſt. Sacrar.* XV. erraſſe in hoc puncto *Plinium* atque *Juuenalem*, Sacerdotes quidem abſtinere ſolitos eſſe à Cæpis & Alliis, non verò vulgum. Narrat *Diodorus* L. I. p. 80. τινὰς φακῶν, τινὰς δὲ κυάμων, ἐνίας δὲ τυρῶν, ὄ κρομμύων, ἤ τινων ἄλλων βρωμάτων τὸ παράπαν μὴ γεύεσθαι, πολλῶν ὑπαρχόντων κατὰ τὴν Αἴγυπτον, *quosdam Lentes, quosdam Fabas, alios Caſeos, aut Cæpas, aut quosdam alios cibos nullo modo guſtare, cum multi ſint in Ægypto.* De Judæis conſtat, adhuc hodie Allii eſſe appetentiſſimos. v. *Wagenſeil. Gebrauch des Chriſtenbluts* p. 50. Obſeruandum eſt equidem, eſſe Orientales illos Cœparum Alliorumque bulbos Europæis longè præſtantiores, ut ſunt Italici Helueticis. De *Theſſalicis Cœpis* legatur *Brown Travels* p. 42. de *Indicis de la Loubere Roy de Siam.* p. 59. de voce שׁוּם *ſchum*, tandem vel Chaldæa תּוּם *thum* annotat *Clericus Comm.* in h. l. deriuari inde manifeſtè Græcum θύμος, quod *Cœpam agreſtem* ſonat, ſicque magnum *Salmaſium*, qui ſe multùm torſit circa origi-

NUMER. Cap. XI. v. 4. 5.
Nymphæa. porrum.

IV. Buch Moſis Cap. XI. v. 4. 5.
Seeblüm Lauch.

I. G. Panz sculps.

NUMER. Cap. XI. v. 4. 6.
Cepa, Allium.

IV. Buch Mosis Cap. XI. v. 4. 6.
Zwibel. Knoblauech.

I. G. Pinz sculps.

NUMER. Cap. XI. v. 6. 9.
Placentæ ex Manna contrita.

IV. Buch Mosis Cap. XI. v. 6-9.
Manna Küchen.

M. Tyroff sculp.

originem hujus vocis, *in Solin.* p. 907. aliosque ſcrupulo liberat. Ex *Ceparum* claſſe placeret mihi *Cepe Aſcalonica* Matth. vulgò *Eſchallottes* dicta, quæ etiam crudæ in cibis lautiores habentur, Francis hinc in Orientalibus Regionibus *Apetitz* dictæ. Fig. L. cum charactere Cepæ ad marginem. Ex Alliis autem ſiſto *Allium ſatiuum alterum ſiue Allioprafum caulis ſummo circumuoluto* C. B. quibusdam ὀφιοσκόροδον, cujus bulbus Turcis eſt adhuc in deliciis. Fig. M.

TAB. CCCI.

Num. Cap. XI. verſ. 6-9.

6. Et nunc animus noſter aret, nihilque præter Man oculi noſtri (vident)

6. Anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man.

7. Erat autem Man quaſi ſemen Coriandri, & ſpecies ejus quaſi ſpecies Bdellii (a).

7. Erat autem Man, quaſi ſemen Coriandri, coloris Bdellii.

(a) Bedola quidam pro Cryſtallo, quidam pro Margarita exponunt.

8. Diffundebanturque populi colligentes, & molentes in mola, aut conterentes in mortario, aut coquentes in olla, & facientes ex eo Placentas, & erat ſapor ejus quemadmodum ſapor Placentarum oleo delibutarum.

8. Circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas, ſaporis quaſi panis oleati.

9. Et quum noctu Ros deſcenderet ſuper Caſtra, deſcendebat Man quoque cum ipſo.

9. Cumque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & Man.

VIdetur primo intuitu moleſtum Iſraelitis aridum, in quo degunt, Clima, Arabiæ nempe deſertæ, & arenoſæ, in qua per Anni decurſum tot profluxere corporibus illorum ſudores, ut non mirum fuerit, ſi defeciſſent ſucci, ſi *animus*, vita, *areret.* v. 6. Sed non eſt ſolum id, nec omne, nec præcipuum, quod tangit illos & angit. *Nihil præter Man vident oculi noſtri.* Deſunt nobis, qui vitæ deliciis ſumus adſueti, Piſces, ſuccoſi Cucumeres, Melones, Anguriæ, ſtimulantes Cepæ & Allia: Jumenta & Pecora noſtra non tam nobis & Familiis noſtris inſeruiunt, quàm ſacrificiis: mallemus Pharaonis eſſe mancipia, viuere fructibus Ægypti, quàm Populus DEI vocari, vano paſci titulo, Manna nutriri cœleſti, ſemper eadem. Hinc eſt, quod areſcamus quaſi præ cupiditate, ſignificat quippe vox נֶפֶשׁ non *Animam* duntaxat, quam utraque Verſio noſtra habet, ſed & *appetentiam*, deſiderium ardens. Ita Jeſ. XXIX. 8. *Erit ac ſi famelicus ſomniet quod comedat, quumque euigilat, deſiderium ejus* נַפְשׁוֹ *fruſtratur*, (deſiderio Animæ noſtræ nondum eſt ſatisfactum) & *ac ſi quis ſiticuloſus ſomniet ſe bibere, cæterum euigilans feſſus eſt, & deſiderium ejus adhuc feruet. (Et ſicut ſomniat eſuriens, & comedit; cum autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus: & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit: & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima ejus vacua eſt)* Pſal. LXXVIII. 18. *Tentauerunt DEUM in corde ſuo, quum poſcerent cibum animabus ſuis.* לְנַפְשָׁם. Non caret hæc loquendi ratio ſuo in philoſophia fundamento: eſt omnis Concupiſcentia Senſatio, Senſatio omnis Animæ, non Corporis: quemadmodum conſtat, non Corpus Hominis, ſed Animam, videre, audire, guſtare, olfacere: id quod ipſe Veteris Philoſophiæ parens *Ariſtoteles* olfecit, ὁ νοῦς ὁρᾷ, ὁ νοῦς ἀκούει.

Proprietates Mannæ quod attinet, imo integram tum Naturalis, tum miraculoſæ hujus, Hiſtoriam, extat ea in Commentario ad Exod. XVI. neque aliud reſtat, quàm Proceſſus, quo Iſraelitæ tractarunt & præpararunt cibum huncce cœleſtem, ex quo iterum clarè pateſcit, non fuiſſe illam Naturæ productum. Manna quippe ordinaria neque *moli* poteſt *in mola*, neque *conteri in Mortario:* ſiccis conueniunt & aridis corporibus, imò duris, non pinguibus,

non melliformibus. Conſiderationi noſtræ tandem ſubjiciendæ ſunt Placentæ ex Manna paratæ, quarum *ſapor erat quemadmodum ſapor placentarum oleo delibutarum.* Eſt modus *Placentas* parandi in Oriente perantiquus, nec hodie exoletus. עֻגֹת ſunt *Panes ſubcineritii*, Placentæ ſub cineribus coctæ, ἐγκρυφίαι. LXX. Eſt namque ἐγκρυφίας apud *Heſychium* ἄρτε εἶδος ὁ ἐν σποδῷ γενόμενος, τὰ μὴ εἶναι κλίβανον. Placentas hujusmodi formare ſolebant ex Aqua & Farina. Encomizat delicatulus quidam inter alia Panis genera Placentam ſubcineritiam ex Simila apud *Athenæum* L. III. p. 112.

Εἶτα τὸν ἐν τεγέαις Σεμιδάλεως υἱὸν ἐπαινῶ
Ἐγκρυφίαν.

Deinde laudo ſimilæ filium, qui Tegeæ fit, Subcineritium.

Et ſic quoque *Carmenta*, quam conuiuam habuit *Ino* apud *Ouidium* L. VI. *Faſtor.* v. 531.

Liba ſua properata manu Tegeea ſacerdos
Traditur in ſubito cocta dediſſe foco.

Memorat *Thevenot voyag.* L. II. c. 32. de Arabibus modernis, eos in vaſe ligneo farinam miſcere Aquæ in maſſam: hanc probè ſubigere, ex ſubacta Placentas ſeu Panes formare ſesquipedales rotundos, hos arenæ igne calefactæ imponere, cineribus calidis, & poſt Carbonibus ignitis, contegere, Placentas tandem inuertere, ut & alterum latus Ignis vim experiatur. Nomen hisce Placentis eſſe *Maſroncam.* Iſraelitis noſtris Manna inſeruiebat loco farinæ. De hujusmodi Panibus plura vide Comm. ad Gen. XVIII. 6. Modum Panes hosce parandi ita deſcribit *de la Roque voyage dans la Paleſtine.* p. 234. *La ſeconde ſorte de Pain ſe cuit ſous la cendre, ou entre deux braziers de fientes des vaches allumées, qui brulent d'un feu lent, & cuiſent le pain tout aloiſir. Ce pain eſt epais comme nos gateaux, la mie eſt fort bonne, quand elle eſt mangée le meme jour, mais la croute eſt noire & brulée elle conſerve une odeur de fumée, & un gout de la matiere, dont elle eſt cuite.*

In Tabula hac ſiſtitur Mola, qua ingredientia miſcentur pro Caſeo viridi Glarenenſium, quæ utique per commoda fuiſſet conterendæ Mannæ pro Placentis.

TAB. CCCII.

Num. Cap. XI. verſ. 31. 32. 33.

31. Et profectus eſt Ventus à DOMINO, qui abripiens Coturnices à Mari disjecit eos ad Caſtra circumquaque ſpatio itineris diurni, fere duobus Cubitis in ſuperficie Terræ.

32. Et ſurgens populus collegerunt toto illo die, & tota nocte, toto denique ſequenti die Coturnices, quique parum collegit, collegit decem Homer, expanderuntque ſibi expanſiones circum caſtra.

33. Carne autem adhuc exiſtente inter Dentes eorum, nec dum contrita, exarſit furor DOMINI adverſus populum, & percuſſit DOMINUS populum clade admodum magna.

31. Ventus autem egrediens à DOMINO, arreptas trans mare coturnices detulit, & demiſit in Caſtra, itinere quantum uno die confici poteſt, ex omni parte caſtrorum per circuitum, volabantque in aëre duobus cubitis altitudine ſuper terram.

32. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum multitudinem; qui parum, decem coros: & ſiccauerunt eas per gyrum caſtrorum.

33. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis.

NUMER. Cap. XI. v. 31. 32. 33.
Selavim in Plagam.

IV. Buch Mosis Cap. XI. v. 31. 32. 33.
Wachteln oder Heüschrecken zur Straffe.

G. D. Heüman sculps.

SEcunda hæc eſt, ſeu *Coturnicum*, ſeu *Locuſtarum* menſa, quam Populo ſuo rebelli parat DEUS in Arabiæ deſerto: Conuiuium non *unius Diei*, ut ſupra Exod. XVI. 13. Seruauit optimus boni Largitor promiſſa. Num. XI. 19. 20. *Non die uno comedetis, neque duobus diebus, non quinque diebus, neque decem diebus, ſed neque viginti diebus. Quin totum Menſem, donec exeat (caro) è naribus veſtris, ut ſit vobis nauſea.* Sed parantur cibi non in officina Naturæ ordinaria, patrat DEUS, ut brachii ſui omnipotentiam oſtendat, Miracula. Non certè videt Moſes, unde Exercitum adeò numeroſum paſcat; *unde mihi*, ita lamentatur v. 13. *caro, ut dem uniuerſo populo huic, qui ſient coram me, & dicunt, da nobis carnes, ut manducemus?* imo in verba erumpit, non Fidei, ſed incredulitatis plena, tantùm non oblitus tot, quæ hactenus vidit, miraculorum v. 21. *Populus, in cujus medio ego ſum, ſexcenta millia peditum habet, & Tu dicis, Carnes dabo eis, ut toto menſe comedant. Num Oues & Boues mactabuntur eis, ut ſufficiat eis? Aut* (fortaſſe) *omnes Piſces maris congregabuntur eis, qui ſufficiant eis? (Sexcenta millia peditum hujus populi ſunt; & tu dicis: Dabo eis eſum carnium, menſe integro. Nunquid ouium & boum multitudo cædetur, ut poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in unum congregabuntur, ut eos ſatient?)* Verùm expertus mox & Moſes, & Populus, *manum DOMINI non factam eſſe breuem.* v. 23. *(Nunquid manus DOMINI imualida eſt?)* manum DOMINI, id eſt, omnipotens brachium. Ita Jeſaias Cap. L. 2. *Num ſic omnino præciſa erat Manus mea, ut liberando non eſſet? aut virtus deerat mihi ad eripiendum? (Nunquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, ut non poſſim redimere? aut non eſt in me virtus ad liberandum?)* & LIX. 1. *Ecce manus DOMINI non eſt mutila, quo minus ſeruare poſſit, neque adgrauata Auris ejus, ut non exaudiat.* Phraſis quoque Latinis uſitata, *an neſcis longas Regibus eſſe manus?*

Num שְׂלָו *Selauim* fuerint *Coturnices* aut *Locuſtæ*, aut, quod *Olao Rudbekio* in ſingulari diſſertatione placet, *Piſces volantes*, nunc non diſcutio. Actum de ea controuerſia ad Locum Exodi. Probabiliſſima eſt *Ludolfi*, quæ pro Locuſtis ſtat, ſententia. Suggerit præſens Hiſtoria plura, quàm quidem ſupra vidimus, argumenta. Videamus ea ordine.

Et profectus eſt Ventus à DOMINO, qui abripiens Coturnices à Mari, disjecit eos ad Caſtra. v. 31. *(ventus autem egrediens à Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, & demiſit in caſtra.)* Ventus non juxta ordinarium Naturæ curſum productus, ſed à DOMINO Naturæ Authore huc directus. *Cœlo mouebat Eurum, & virtute ſua Africum adduxit. Et depluit ſuper eos carnem tanquam puluerem, & alatas volucres, velut Arenam Maris.* Pſ. LXXVIII. 26. 27. Ex quanam Plaga ſpirarit hic Ventus, non adeò clarum. Variant Interpretum opiniones. Et tamen illam indicat Hiſtoricus ſacer: *à Mari.* Sed id non unum. *Clerico Comm.* ad h. l. placet *Zephyrus*, qui ſpirarit à Mari Mediterraneo, licet non excludat Sinum Arabicum, ſiue Rubrum Mare. Placet illud, ut locum det Textui, qui proſtat apud *Diodorum Siculum* L. I. p. 55. καλάμην κείροντες ἐκ τῆς ὁμόρου χώρας, καὶ ταύτην σχίζοντες λίνα παραμήκη κατεσκεύαζον, ταῦτα δὲ παρὰ τὸν αἰγιαλὸν ἐπὶ πολλὰς σταδίους ἐξάντες τὰς θήρας τῶν ὀρτύγων ἐποιοῦντο (φέρονται γὰρ αὐτοὶ κατ' ἀγέλας μείζους ἐκ τῶν πελάγων) ἃς θηρεύοντες ἤθροιζον πλῆθος ἱκανὸν εἰς διατροφὴν ἑαυτοῖς. *Calamos tondentes Rhinocoluri incolæ è vicina Regione, eosque findentes, longa retia confecerunt, atque hæc ad littus per multa ſtadia extendentes aucupabantur Coturnices (feruntur autem gregatim ex Mari) quarum captarum eam copiam colligebant, ut ad alimentum ſufficerent.* Arabiæ autem Sinui non dat excluſiuam, ne contra *Joſepho* dicat *Ant. Jud.* L. III. c. 1. ubi de Coturnicum volatu ita. ὀρτύγιον δὲ πλῆθος (τρέφει δὲ τοῦτο τὸ ὄρνιον ὡς οὐδὲν ἕτερον ὁ Ἀράβιος κόλπος,) ἐφίπταται τὴν μεταξὺ θάλασσαν ὑπερελθών. *Coturnicum copia ingens (alit hanc Auem ut nihil aliud Arabicus Sinus) aduolat trajecto Mari, quod medium eſt.* Arabico deſerto jacet utrumque Mare ad Occaſum. Hunc loquendi modum, *à Mari*, nonnulli ἀφιλόσοφοι Arabes, Græci, & Judæi ita intellexerunt, quod Coturnices in ipſo Mari fuerint generatæ, & ex eo tanquam Matrice prouolarint. Hos cum æquiuoca ſua & Scholaſticorum Generatione ad Anticyras mitto. Cum *Zephyro Clerici* non concordant benè citata Pſaltis verba, quæ Eurum habent, qui certè non ex Africa & Ægypto ſpirat in Arabiam, ſed ex Arabia in Africam. Verba Pſaltis, dico, nempe ſi *Bocharto* & aliis Interpretibus Verſionibusque fidem demus, & vocem נָסַע explicemus non tam per *abducere*, quàm per *adducere, excitare*, ut ſenſus foret: *cœlo excitabat Eurum, & virtute ſua Auſtrum.* Hac difficultate facile ſe extricat Tigurina noſtra LXX. & *Hieronymum* ſecuta, juxta quam non *Eurus* adduxit Coturnices, ſed *Africus* ſiue *Auſter*. Haud diſplicet *Bochartus*, qui *Eurum Noto* non opponit, ſed utrumque horum Ventorum jungit in *Euro - notum. Virg.*

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus.

Homerus Iliad. π. v. 765.

Ὡς δ' ὅτε νότος τε Βόρης τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλοιιν.

Degebant Iſraelitæ tunc in Deſerto *Paran:* erat ipſis extrema Sinus Arabici portio verſus Meridiem: poterant proin Coturnices adduci facile per תֵּיכָן *Notum* à Rubro Mari, ſed & per קָדִים, quem Tigurini nos exprimimus per

Eurum. De quo ipſo קדים Kadim prætendit argumentis haud contemnendis *Bochartus*, eſſe *Auſtrum.* Sed de his plura alibi. Pergo cum Moſe.

Disjecit (DEUS Coturnices) *ad Caſtra circumquaque ſpatio Itineris diurni, fere duobus cubitis in ſuperficie terræ.* Mei non eſt, operoſius inquirere, an voces עַל־הַמַּחֲנֶה *al hammachaneh* transferri debeant, *ſuper caſtra*, an, *ad caſtra*, id eſt, an Coturnices, ſeu Locuſtæ peruenerint ad extremos duntaxat caſtrorum limites, vel tota Caſtra ad Sanctuarium usque tanquam Centrum fuerint iisdem repleta, & veluti conſita? Ludolfiano Syſtemati quadrat Locuſtarum pluuia per omnia Caſtra. Adeſt heic τὸ θεῖον. Cur enim demiſit ſe Nubes illa Locuſtifera in & intra caſtra? Cur non Milliarium aliquot à Caſtris ſpatio? ſi præciſè ad, & extra Caſtra, cur non intra ea? Fauet inprimis *Ludolfo* numeroſiſſima Selauim copia, quæ *ad caſtra circumquaque ſpatio Itineris diurni* fuere depoſitæ, numeroſiſſima, inquam, ſeu pro Itinere diurno ponas cum *Bocharto* 20000. ſeu cum aliis 30000. imo vel 10000. duntaxat paſſus: & mirum in modum augetur ea copia altitudine, quæ fuit *duorum cubitorum in ſuperficie terræ.* Agedum, formemus qualemcunque calculum, nixi fundamento Caſtrorum, quæ ſupra delineata dedimus, ubi Longitudo extrema fuit una 17600'. altera 14750'. ſit Iter diurnum non majus Itinere Sabbathico, quod *Eiſenſchmidio* eſt 2000. Cubitorum, i. e. 551. Hexapodarum Gallicarum, 5. ped. $\frac{160}{1440}$. i. e. 3311. pedd. Pariſ. prolongetur duplo 6622. utraque extima Caſtrorum linea, erit prolongata Linea una 24222, altera 21372, Area Parallelogrammi integra, quod & caſtra includit, & ambitum illum Locuſtis ſparſum, prodibit 517672584. pedd. quadrat. ſubtrahe Aream Caſtrorum ſupputatam ibi 259600000. obtinebis pro ſolo ambitu 258072584. pedd. multiplica id ſpatium per altitudinem 2. cubitorum ſiue $3\frac{448}{1440}$. pedd. Pariſ. habebis 854507000. $\frac{513}{1440}$. pedum cubicorum, omnia ſaluo errore calculi. Cogita nunc, imo calcula, ſi lubet, qualisnam proditura foret ſumma, ſi pro Itinere diurno ſumſeris 20000 vel 30000. paſſus, i. e. decuplo vel quindecuplo major. Proſternit ſanè vel ſolus hic Calculus Coturnices, introducitque Locuſtas. Neque vel eminus ad computum noſtrum accedunt 12000000000. Coturnices, quos inuenit, vel per ſomnium forſan in Comm. ad h. l. vidit *Cornelius à Lapide.* Nouimus quidem ex Naturæ Hiſtoria, volare Coturnices per greges integros, memorant *Plinius* & *Solinus*, quod aliquando *velis incidant & nauigia mergant*, & quod 5000. paſſuum ſpatio unico die capi poſſint 100000. Sed non quadrant hæc ad rhombum, non ſatis noſtræ Hiſtoriæ faciunt, quapropter non mirum, confugiſſe nonnullos ad Creationem immediatam. Locuſtarum alia eſt ratio, propior ad rem præſentem acceſſus; non gregatim duntaxat, ſed per Exercitus volant, offendimus *Nubes Locuſtarum; multitudinem Locuſtarum prodigio ſimilem; inæſtimabilem Nubem*, apud *Auguſtin. de civ. DEI.* L. III. c. 31. Quadrat, quod memorat *Aluarez Itinerar. Æthiop.* c. 32. propria nixus Experientia: vidit is ad littus Fluminis Locuſtas occupaſſe ſpatium 8. Leucarum *(oito Leguas)* Luſitanicarum, quæ paulò minores ſunt Germanicis, & duas ulnas in altum *(dous covados d'altura)* Et *Aldrouand. de Inſ.* L. IV. c. 1. ex *Surio*, quod 1541. in Prouinciis Poloniæ vicinis Terram in longitudine atque latitudine 2. milliarium, & cubiti unius altitudine operuerint. Noſtra duorum cubitorum altitudo interprete *Bocharto* intelligi poteſt ita, *1. ut Coturnices in toto illo ſpatio ita fuerint coaceruatæ, ut ubique ad duos cubitos eminuerint. 2. ut Coturnicum fuerint bicubitales acerui ita diſperſi hinc inde, ut vacua ſubinde ſpatia remanſerint, per quæ populus iter faceret, cibos à DEO oblatos collecturus. 3. ut in ipſo volatu ita ſe demiſerint, ut à Terra non abfuerint plusquam 2. Cubitis, quaſi captantium manibus ultro ſe offerrent.* Ex quibus opinionibus ipſi *Bocharto Hieroz.* P. II. L. I. c. 15. media placet. Prior ſanè Coturnicibus planè non fauet, quum vix ſuffeciſſent Hemisphærii Terræ Coturnices replendo illi ſpatio, imo ne quidem ita coaceruatæ viuere potuiſſent, niſi confugere vellemus ad noua miracula: ſed *non licet:* ita *Clericus*, *Miracula Miraculis tegere, ne perpluant, ſcilicet ut ait ille.* De diſperſis hinc & inde Coturnicum aceruis nil quoque Moſes, & ne hi quidem in viuas Coturnices quadrant: neque te extricaueris, ſi dixeris, demiſiſſe ſe illas ad 2. cubitorum altitudinem ſupra Terram; ſi quippe perrexerunt volando, volaſſent breui trans Caſtra, neque de iis dici potuiſſet, *diſjectos* fuiſſe *ad Caſtra circumquaque ſpatio Itineris diurni, fere duobus cubitis in ſuperficie Terræ.* Sed forſan ſuſpenſæ manſerunt, ut eò facilius à quouis captari potuerint. Id rurſum nouum accerſeret miraculum. Volatus quippe Auium, harumque ſtructura juxta hujusmodi æquilibrationem ſuſpenſam conſiſtere nequit. Sed quidem de Locuſtis dici poteſt, jacuiſſe ad 2. cubitorum altitudinem, & tamen manſiſſe viuas.

Fauet iterum *Locuſtis* v. 32. *Et ſurgens populus collegerunt toto illo die, & tota nocte, toto denique ſequenti die Coturnices: quique parum collegit, collegit decem Homer, expanderuntque ſibi expanſiones circum Caſtra.* וַיַּאַכְפוּ *colligebant*, manibus nempe, id quod in Locuſtas quadrat; de Coturnicibus dici debuiſſet, inprimis volantibus, captabant. *Qui parum collegit, collegit decem Homer.* Erat autem חומר *Chomer* ſiue כור *Cor*, *Corus* menſurarum pro aridis maxima, continebatque 2. *Letech* ſiue 10. *Epha*, ſiue 20220. pollices cubicos, juxta reductionem meam 11. quartalia & $6\frac{10}{17}$. modiolos, collegit

legit itaque Pater quiuis familias 36. horarum ſpatio 114. quartalia $1\frac{5}{7}$. modiolos. Quæ circumſtantia prorſus non quadrat Coturnicibus, quæ ſi plures ſint numerantur per δυοδέκαδας, non menſurantur quartalibus aut modiolis. Et pone, collegiſſe tot Coturnicum quartalia. Quî, quæſo, Aues haſce conſeruaſſent Iſraelitæ? viuasne, an mortuas? quomodo viuas cibaſſent in Deſerto? caueisne incluſiſſent, an liberas ſibi reliquiſſent? Et quid temporis poſtulaſſet occiſio? nam Judæis non licebat collum obtorquere Aui: debebat jugulo ſciſſo Sanguis omnis effluere, Auis poſtea deplumari, imo & exenterari: & quanam ratione conſeruaſſent mortuas, deplumes, exenteratas, in Climate adeò calido? In his omnibus caſibus opus utique fuiſſet nouis ſemper Miraculis. Aſt nodos omnes ſoluit Locuſtarum Syſtema, quæ abruptis capite & alis debebant ſaltem torreri: huic labori pares erant non viri duntaxat, ſed & fœminæ, & liberi. Non quidem de præparatis remanſerat niſi dimidium, quartalia 57. pro Familia: ſed ſuffecit hæc quantitas pro Menſe. Mirè ſe heic, ut Coturnices ſaluet, torquet *Bochartus.* Etiam ipſi nimia videtur 10. Chomer quantitas pro Familiis ſingulis, quæ de Manna non plus colligebant quàm unicum Homer, id eſt, $\frac{1}{100}$. Chomer: explicat proin 10. Chomer per 10. *aceruos*, uti quoque Exod. VIII. 14. Ægyptii *Ranas collegiſſe* dicuntur *aceruatim*, per aceruos, חֳמָרִים, allegans *Onkeloſum*, & quosdam Arabes, qui etiam habent *aceruos*: & præterea non præciſe intelligi vult *decem aceruos*, ſed in genere *plures.* Fuit namque numerus Judæorum denarius ſæpe pluralis. Ita Gen. XXXI. 7. alloquitur Jacobus uxores ſuas: *Immutauit pater veſter mercedem meam jam decies:* & Num. XIV. 22. DEUS ad Moſen de populo rebelli, *jam decies me tentauerunt*, i. e. pluries. Eſt hæc loquendi ratio etiam aliis Gentibus familiaris. Ingenioſa eſt, fateor, hæc interpretatio, qua ſolui poſſet nodus, ſi non foret, niſi unicus. Sed ſunt plures alii, quos vidimus, non ſolubiles niſi per Locuſtarum ſyſtema. *Expanderunt ſibi expanſiones circum caſtra.* Expandebant nempe Locuſtas, ne aceruatim ſibi ſuperinjecti putreſcerent, ſed ut Soli expoſitæ citius tantò torrerentur, ſic facile conſeruandæ, ut nos in fornace torrere ſolemus Phaſeolorum ſiliquas, quas aſſeruamus per annum, imo & ſuillas bouillasque carnes fumo exiccamus. Heic opus habuiſſent Coturnices nouo rurſus Miraculo: nouimus quippe, in Arabia & Indiis recentem quamuis carnem paucas intra horas verminare putreſcendo, ni protinus condiatur Sale, & fumo exiccetur. Cadit autem hæc difficultas, ſi pro Selawim ſumas Locuſtas, quæ adhuc dum in Oeconomicos uſus torreri ſolent ad Solem, ut iis cadi repleri poſſint: macerari poſt Aquâ, ut paſſim nouimus torreri Piſces, in annos ſic aſſeruari, in remotas etiam Regiones transferri: Qui modus Ichtyophagis haud erat ignotus. Vide *Diodorum* L. III. p. 153.

Quicquid nunc fuerint שְׂלָוִים *Coturnices*, ſeu *Locuſtæ*, certum id eſt, non caruiſſe cibum huncce Miraculo aduectum ſuo condimento, eoque acerrimo. Nam *carne adhuc exiſtente inter dentes* Iſraelitarum, *nec dum contrita, exarſit furor* DOMINI *aduerſus populum, & percuſſit* DOMINUS *populum clade magna.* Qualisnam hæc fuerit Plaga, non exprimit Moſes. Fuit, ſi *Abenezræ* credimus, *Peſtis:* ſi aliis, *Hectica* vel *Phthiſis.* His fauet Pſ. CVI. 15. *Dedit quod popoſcerunt, ſed (ſimul) immiſit macilentiam ipſorum Animæ. (& dedit eis petitionem ipſorum: & miſit ſaturitatem in animas eorum.) Bocharto* placet *Ignis* ἐξανοπστὴς. Allegat is Pſ. LXXVIII. 21. ubi Pſaltes, poſtquam de carnium deſiderio ſcripſit: *Idcirco DOMINUS (hæc) audiuit, & exarſit, & ſuccenſus eſt Ignis contra Jacob.* Atram ſane notam meruit atrociſſima hæc Rebellio. Locus ipſe, & criminis, & ſupplicii, duplici nomine fuerat inſignitus. v. 3. *Thabera, eò quod Ignis DOMINI in eos deflagraſſet*, v. 34. (*Incenſio, eo quod ſuccenſus fuiſſet contra eos Ignis DOMINI*) *Kibroth hataaſa, eò quod ſepelierant illic populum cupiditate flagrantem.* (*Sepulchra concupiſcentiæ; ibi enim ſepelierunt populum qui deſiderauerat.*)

TAB. CCCIII.

Num. Cap. XII. verſ. 10. 11. 12.

10. Et Nubes receſſit à Tentorio, & ecce Maria leproſa fuit velut Nix, reſpexitque Aharon Mariam, & ecce Maria erat leproſa.

11. Dixit ergo Aháron ad Moſem: obſecro Domine, ne obtrudas nobis peccatum hoc, quod imprudenter auſi ſumus, & quæ commiſimus.

12. Quæſo ne iſta fiat quaſi mortuum, quod egreditur de utero Matris ſuæ, & cujus caro fere conſumpta eſt.

10. Nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper Tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra, quaſi nix. Cumque reſpexiſſet eam Aaron, & vidiſſet perfuſam lepra.

11. Ait ad Moyſen: obſecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtulte commiſimus.

12. Ne fiat hæc quaſi mortua, & ut abortiuum quod projicitur de vulua matris ſuæ, ecce jam medium carnis ejus deuoratum eſt à lepra.

ESt hoc tremendum Iræ diuinæ Exemplum, Miraculum uti in inductione, ita in ſubſecuta curatione, conferendum cum *Lepra* illà, quam momentaneam ſuſtinuit Moſes Exod. IV. 6. hac quidem differentia, quod heic inſeruire debuerit Morbi aliàs Chronici ortus & cura terrori Mariæ, Aharoni, totique populo ad Rebellionem eheu! prono, ibi ad confirmandam vacillantem Moſis fidem, utrobique ad demonſtrandam DEI potentiam. Corroſiuam nouimus Lepræ Naturam, & vel hinc difficillimam grauiſſimi pariter atque fœdiſſimi Morbi curam. Eroſis, imo deſtructis cutaneis glandulis ſerpit malum profundius ad ipſos Muſculos, imo & Oſſa. Corroſiuam hanc Lepræ vim indicare mihi videtur v. 12. & alludere non tam ad Fœtum mortuum, qui vel viribus Matris expellitur, vel Artis ope protrahitur in dias luminis auras, expoſiturus aliàs vitæ periculo ipſam Matrem; quam vel ad Secundinas laceratas per fragmina prodire ſolitas, vel ad Fœtum, qui in ipſo Matris Utero putreſcens fruſtillatim excernitur.

TAB. CCCIV.

Num. Cap. XIII. verſ. 24.

Venerunt denique usque ad Torrentem Eſchol, inde decerpſerunt termitem, & botrum uuarum unum, quem duo geſtarunt Vecte, (acceperunt) quoque de Malogranatis & de Ficubus.

Pergentesque ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum uua ſua: quem portauerunt in vecte duo viri; de malis quoque granatis, & de ficis loci illius tulerunt.

NUMER. Cap. XII. v. 10. 11. 12.
Miriam leprosa.

IV. Buch Mosis Cap. XII. v. 10. 11. 12.
Die aussätzige Miriam.

G. D. Heiman sculp.

NUMER. Cap. XIII. v. 24.
Exploratores Βοτρυφόροι.

IV. Buch Mosis Cap. XIII. v. 24.
Trauben-tragende Kundschaffter.

G.D. Heuman sculps.

Nachal Eſcol, נַחַל אֶשְׁכֹּל à Nobis vertitur *Torrens Eſchol*, *der Bach Eſcol*, Torrentem uuæ, *Trauben-Bach*, verbo dixeris: ita & LXX. נַחַל vertunt per φάραγγα, Vulgata per *Torrentem*: *Clericus Vallem Eſcol*, quia eadem hæc vox Vallem quoque ſignificat. Sunt equidem, qui Uuam hanc non decerptam volunt de Vite, ſed de *Ficu Indica* in Arabia, & circa Hieroſolymam copioſa, *Muz* vel *Mauz* dicta, cujus fructus botriformes eò ſæpe accreſcunt, ut à viris duobus vix portari queant. v. *Salmuth.* L. II. *de reb. inv.* p. 119. alii de *Palma dactylifera*, nam & hæc *Vinum* dat *palmeum* dictum, & fructus botriformes, *dactylos*, quibus ita *onuſtum* vidit *Veslng. Not. ad Alpin. Plant. Ægypt.* p. 12. *unicum racemum, ut eum attollere à Terra præ pondere vix ſuſtinuerit.* Sed plerique Interpretes Textum noſtrum intelligunt de *Viti*, botrifera & vinifera, de qua certum, in Oriente & Climatibus quibusuis calidioribus fructus ferre majores & uberiores, excreſcere etiam in majorem & amplitudinem & altitudinem. *In Mauritania ſeu Margiana Aſiæ ſeu Perſiæ Prouincia Vites reperiuntur, quas duorum Hominum amplexus capere non poſſit. Strab. Geogr.* L. II. Confirmat idem αὐτόπτης *Adam Olearius Itin. Perſ.* P. III. p. 484. & *Nicol. Chriſtoph. Radzeuil* in ſuo *Itinerario* refert, ſe vidiſſe uuas & comediſſe, quarum acini fuerint ad inſtar noſtratium Prunorum uuas verò longitudine $\frac{3}{4}$. ulnæ adæquaſſe. In Archipelagi Inſulis & Candia racemos naſci octuplo aut decuplo noſtris majores obſeruauit D. *Deutſchländer*, quod ex ejus literis teſtatur *Sachs à Lewenheim Ampelograph.* p. 100. Sed hæc, & omnia alia, quæ Experientia nobis ſuggerit, nihil ſunt, ſi conferas cum Rabbinorum Fabulis de Uua hac Cananæa, quæ pondus habuerit 2880. Librarum, & ab octo viris geſtari debuerit. De qua mox plura.

Quicquid ſit Uuarum prægrandium Europæis majorum, id certum puto, noſtram hanc *geſtatam* fuiſſe *Vecte* non propter pondus uni Exploratorum nimiùm graue, ſed propter commoditatem, & ut integra transferri poſſet. Prius aſſerunt, ut modò dictum, Judæi. *Philo de vita Moſis* L. I. p. 494. omnium modeſtiſſime. οἱ βότρυς ὑπὲρ μεγέθει ἦσαν ἀντιπαεκτεινόμενοι ταῖς κλιματίσις καὶ μοχλεύμασιν, ἄπιστος θέα. ἕνα γὰν ἐκτεμόντες, καὶ δοκίδος ἀπαιωρήσαντες ἧς τὰς ἀρχὰς δυσὶ νέοις, τῷ μὲν ἔνθεν, τῷ δὲ ἔνθεν, ἐκ διαδοχῆς, πιεζομένων ἀεὶ τῶν πρεσβυτέρων (βαρύτατον γὰρ ἦν ἄχθος) ἐκόμιζον. *Pendebant prægrandes botri è palmitibus, ſpectaculum vix credibile. Horum unum exſectum ſuſpenderunt è vecte medio, cujus extrema impoſuerunt humeris duobus juuenibus, uni quidem hinc, alteri vero illinc, & vicibus, cum priores ſemper defatigarentur, (maximum enim erat pondus) ferebant.* Singulari namque pollet Natio illa rerum magnitudines augendi facultate, ut dolendum fere ſit, caruiſſe Microſcopiis, excreuiſſent enim Pediculi facile ad Camelorum magnitudinem. Si Rabbinorum Traditionibus fides, id fuit Botri pondus, ea magnitudo, ut octo virorum humeris opus fuerit ad eum portandum, imo cuiuis horum onus geſtandum 360. Librarum. v. *Wagenſeil Gloſſ.* ad *Gemaram* & *Ketuuoth* fol. III. b. in *Sota* p. 707. 708. & eo quidem modo geſtatus fuit Botrus, quem exhibent Fig. I. & II. priori mutuò petita ex R. *Iſaaco*, poſteriori delineata ex mente ipſius Celeb. *Wagenſeilii*, qui ex Talmudiſtis hæc inſuper allegat monſtroſæ exaggerationis vota. *At olim, quis ſibi afferet uuam unicam vehiculo, aut naui, eamque in angulum ædium deponens ex ea vinum ſibi depromet, tanquam ex dolio ingenti, ligno verò ejus utetur ad coquendum cibum, nec ulla erit uua, quæ pauciores quàm XXX. vini utres ſuppeditabit!* Nec tamen ſoli recutiti hoc exaggerandi vitio ſunt clari, inuenimus etiam inter Gentiles mendaces magno oris hiatu. Audi *Stephanum Byzantinum* in ἐυκαρπία, qui Pagus eſt Phrygiæ minoris. ἱστορεῖ Μητροφάνης, τὸν βότρυν ἐκεῖ τοσοῦτον γίνεσθαι τὸ μέγεθος, ὅσον ἅμαξαν ἀπ' αὐλῆς χιωθῆναι καὶ μέσον. *Narrat Metrophanes ibi botrum tanta magnitudine eſſe, ut plauſtrum medium ab eo fiſſum fuerit.* Ubi, pro *Metrophanis* excuſatione, non ſine cauſa forſan, conjicit *Clericus*, pro ἅμαξαν legi debere ἄμπελον, ut ſenſus ſit, *tanta eſſe magnitudine botrum, ut palmitem trahens ſcindat ipſam vitem.* Occurrit hæc Phraſis, σχίζειν τὸν ἄμπελον, *findere vitem*, apud *Theophraſtum de cauſ. Plant.* L. VI. c. 18. ſi ſuccus deriuetur arte in certam partem vitis, in quam alioqui non fluxiſſet. Obſeruat *Fabricius Hiſt. ſacr. contra Pictores* p. 9. non pingi debere Botrum nudum, ſed juxta cum illo ramum vel ſarmentum, aut palmitem foliis ſuis inſtructum.

Eſt tandem ex Cananææ Regionis deliciis רִמּוֹן *rimmon*, *Malum Punicum*, *Malogranatum*, & תְּאֵנָה *theen*, *theenah*, *Ficus* Arbor, de quibus alibi.

TAB. CCCV.

Num. Cap. XIII. verſ. 33. 34.

Regio illa, quam ad explorandum pertransiuimus, Regio eſt, quæ deuorat habitatores ſuos, præterea uniuerſus populus, quem vidimus in ea, homines ſunt monſtroſæ magnitudinis.

Terra quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos; populus quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt.

Vidimus quoque illic Nephilim, poſteros Anack de Nephilim, fuimusque in noſtro quidem judicio veluti Locuſtæ, quin ſic quoque fuimus illorum judicio.

Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac, de genere giganteo, quibus comparati, quaſi Locuſtæ videbamur.

INquirendum linquo aliis, qualesnam fuerint *Enakim* & *Nephilim* populi, cujusnam Proſapiæ, an excelſæ ſtaturæ Gigantes, an Latrones, uti hodie Arabes? Id occaſione Textus moneo, datum nobis eſſe rariſſimè, inuenire & Veritatis & Judicii centrum, determinare præciſam rerum proportionem. Si quid magni, ſi quid eximii, chari, nobis ob oculos ſiſtitur, exaggeramus id, & in immenſum multiplicamus, additione continuata; diminuentes contra ſubtractionibus iteratis, quod flocci pendimus, vel contemptui habemus. Verbo, ex Muſca facimus Elephantem, ex Elephante Muſcam, & ſi quid adhuc minus. Volumina ſcribenda forent, ſi quis Hiſtoricam Gigantum relationem undecunque corraſam peteret: ubi plurima ſunt incerta, multa falſa, pleraque hyperbolica, qualis & proportio, qua timiduli noſtri Exploratores uſi ſunt in ſua rerum viſarum narratione, fuiſſe illos ad Anakitas veluti Locuſtas, id eſt, ſi ſenſui literali inhærere vellemus, hos Turres viuas, prælaltas. Nemo non videt eſſe Locutionem hanc hyperbolicam, qualis & illa Amos II. 9. *Ego deleueram Amorrhæum ante eos, cujus proceritas erat ut proceritas Cedrorum, eratque robuſtus, ut ſunt Quercus.* Nos Germani hyperbolizamus ſimiliter, quando dicimus, *er ſeye ſo groſs und ſtarck als ein Baum, Baumſtarck.* Traxerunt ſæpe Orientales Populi, ut ſolemus res obuias, Locuſtas in Symbola & Prouerbia: conſtat id ex Sacris & profanis, Jud. VI. 5. *Aſcenderunt* Madianitæ & Amalekitæ *magna multitudine inſtar Locuſtarum.* Jud. VII. 12. *Jacebant* iidem *in Valle inſtar Locuſtarum multi, & Cameli eorum innumeri erant, & multi veluti harena, quæ eſt in littore marino.* De Trojanis & Æthiopibus, quos Mnemon duxit, *Quintus Smyrnæus* L. II. v. 195.

\- - τοὶ δ' ἐκέχυντο
Ἀκρίσι καρποβόροις ἐναλίγκιοι, αἵτε φέρονται
Ὡς νέφος, ἢ πολὺς ὄμβρος, ὑπὲρ χθονὸς εὐρυπέδοιο
Ἄπλητοι, μερόπεσσιν ἀεικέα λοιμὸν ἄγουσαι.

\- - - - Ipſi autem effundebant ſe
Locuſtis frugiuoris pares, quæ feruntur
Ut Nubes, aut immodicus imber ſuper latam Terram,
Innumeræ, tetram Hominibus famem allaturæ.

Jeſ. XL. 22. *Sed & DEUS ſupra globum Terræ & qui habitant in ea ſunt veluti Locuſtæ.* Ita *Lucianus* in *Hermotimo*, ὅιον μύρμηκας ἀπὸ τῆ ὕψες ἐπισκοπῆντάς τινας τὲς ἄλλες. Hoc interim diffitendum haud eſt, ſuperatos fuiſſe Iſraelitas magnitudine ab illis Anakitis, de quorum ſtatura commodior alibi ſeſe offeret differendi occaſio.

NUMER. Cap. XIII. v. 33. 34.
Enakim.

IV. Buch Mosis Cap. XIII. v. 33. 34.
Canaaniſche Rieſen.

G.D.Heüman sculp.

NUMER. Cap. XV. v. 4-6-9.
Sacrificium cibarium.

IV. Buch Mosis Cap. XV. v. 4. 6. 9.
Speiß-Opfer.

M. Tyroff sculp.

NUMER. Cap. XVI. v. 31-35.
Tumultuantium interitus.

IV. Buch Mosis Cap. XVI. v. 31-35.
Der Aufrührer Untergang.

G. D. Heüman. sculps.

TAB. CCCVI.

Num. Cap. XV. verſ. 4. 6. 9.

4. Is qui adducit donum ſuum ſacrificium cibarium, nempe decimam partem ſimilaginis commixtam quarta parte Hin olei.

6. Aut ad Arietem facias Sacrificium cibarium duas decimas ſimilaginis conſperſas oleo, dimidium videlicet Hin.

9. Adferat cum Juvenco Sacrificium cibarium tres decimas ſimilaginis conſperſas oleo, dimidium videlicet Hin.

4. Offeret quicunque immolauerit victimam, ſacrificium ſimilæ, decimam partem ephi conſperſam oleo, quod menſuram habebit quartam partem Hin.

6. Et arietes, erit ſacrificium ſimilæ duarum decimarum, quæ conſperſa ſit oleo tertiæ partis Hin.

9. Dabis per ſingulos boues ſimilæ tres decimas conſperſæ oleo, quod habeat medium menſuræ Hin.

FUit *Hin* הִין menſura Liquidorum $\frac{1}{6}$. Bathi 337. pollicum cubicorum Pariſienſium ſupra ad Exod. XXIX. 40 reducta ad Menſuras Tigurinas æqualis 2. menſuris $\frac{2}{9}$. dimidiæ menſuræ agreſtis: ſiue 2. menſuris 1. dimidiæ & $\frac{1}{4}$. quartalis menſuræ urbicæ: Erit proin

	menſ.	dimid. menſ. agr.
v. 9. $\frac{1}{2}$. Hin $168\frac{1}{2}$. poll.	1.	$\frac{1}{9}$.
	1.	$1\frac{1}{8}$. quart. urb.
v. 6. $\frac{1}{3}$. Hin $112\frac{1}{3}$.		$1\frac{2}{27}$. agr.
		$3\frac{5}{13}$. quart. urb.
v. 4. $\frac{1}{4}$. Hin $84\frac{1}{4}$.		$1\frac{1}{18}$. quart. agr.
		$1\frac{5}{36}$. quart. urb.

Decima pars ſcilicet Ephæ aliàs Homer & Gomor ad l. c. fuit reducta ad $1\frac{35}{42}$. modioli Tigurini. Ergo

$\frac{2}{20}$. v. 6. æquales.	$3\frac{227}{425}$. mod.
$\frac{3}{10}$. v. 9.	$5\frac{213}{425}$.

סֹלֶת *Soleth*, *Simila*, *Simılago*, Græcis antiquo vocabulo σεμίδαλις à Cerere, ut quidam volunt, quæ Syracuſis Σιμαλὶς appellabatur, *Athenæo* Authore, farina eſt delicatior ſiue flos farinæ triticeæ, ex qua lautiſſima panificia, placentæ & bellaria jam olim fingebantur. Hinc *Panis* σεμιδαλίτης, *Similaceus. Panis, qui de granorum ſit medullis, & Simila vulgò ſolet vocari, nutribilior eſt & indigeſtibilior. Conſtantin. Afric.* L. V. *Loc. Comm.* Vox adhuc nobis Tigurinis uſitata *Simlen.* In Chartis veteribus Diplomaticis *Simula, Simulus, Simla, Simenellus.*

TAB. CCCVII.

Num. Cap. XVI. verſ. 31. 32. 33. 35.

31. Contigit autem quum perfeciſſet (Moſes) omnia Verba iſta, quod Tellus ſub illis dehiſceret.

32. Aperuitque Tellus os ſuum, & deglutiit eos, atque domos eorum, & omnes Homines, qui cum Korah erant, cum uniuerſa ſuppellectile.

31. Confeſtim igitur ut ceſſauit loqui, diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum:

32. Et aperiens os ſuum, deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & uniuerſa ſubſtantia eorum.

33. Et deſcenderunt ipſi cum omnibus, quæ habuerunt, viui ad inferiores, operuitque eos Terra, & perierunt de medio congregationis.

35. Sed & Ignis egreſſus eſt à DOMINO, qui deuorauit ducentos & quinquaginta illos viros, qui ſuffitum faciebant.

33. Deſcenderuntque viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.

35. Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum.

EST hæc ſeditioſæ turbæ ad tartarea loca præcipitatio inter alia Miracula, quæ DEUS patrauit per Moſen, Veritatis Judaicæ Religionis Κριτήριον. Non legitur ulla hujus generis δοκιμασία in ulla vel Gente, vel Cultu. Stet penes alios Scripturæ interpretes, deſcribere rebellium nomina, Familiam, numerum, cauſas turpiſſimæ Apoſtaſiæ, & audaciſſimæ perduellionis occaſionales, reorum ex una, Moſisque & Aharonis ex altera parte procedendi, murmurandi, obloquendi, cauſam DEI defendendi modum. Mearum eſt partium, vim inquirere Miraculi, quo turpiſſimæ ſeditionis ſocii fuerint partim à Terra hiante abſorpti, partim Igne, qui egreſſus eſt à DOMINO, combuſti.

Ad Miraculi demonſtrationem id ante omnia facit, quod non caſu fortuito contigerit terribile hoc φαινόμενον, ſed perduellibus pœnam hancce ante prædixerit Moſes, quàm quis tale quid præſumere poſſet. Ita Vir DEI ad Gentem ingratam v. 28. 29. 30. *In hoc cognoſcetis, quod DOMINUS miſerit me, ut facerem cuncta iſta opera, neque ex corde meo. Si morientur iſti morte, qua ſolent uniuerſi Homines, viſitanturque viſitatione uniuerſorum Hominum, non miſit me DOMINUS. Si vero DOMINUS noui quidquam creauerit, aperueritque humus os ſuum, & deuorauerit eos unà cum omnibus, quæ habent, deſcenderintque viui ad inferos, noſſe debetis, quod viri iſti irritauerint DOMINUM. (In hoc ſcietis, quod Dominus miſerit me, ut facerem uniuerſa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: Si conſueta hominum morte interierint, & viſitauerit eos plaga, qua & cæteri viſitari ſolent, non miſit me Dominus. Sin autem nouam fecerit Dominus, ut aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viuentes in infernum, ſcietis quod blaſphemauerint Dominum.)* Ubi annotari meretur Phraſis, אִם־בְּרִיאָה יִבְרָא יְהוָה propriè ut habet *Ariæs, ſi creationem creauerit DOMINUS*, notat namque בָּרָא *bara* non ſolum, producere aliquid, Ens corporeum ſeu ſpirituale, ex nihilo, ſed efficere aliquid magni, inſoliti, quod curſum Naturæ ordinarium tranſcendat, idque ſolius Voluntatis nutu. Quo ſenſu ſumitur Exod. XXXIV. 10. *Faciam rara quædam, quæ creata non ſunt in uniuerſa Terra, neque in ulla Natione. (Signa faciam quæ nunquam viſa ſunt ſuper Terram, nec in ullis gentibus.)* Jeſ. XLVIII. 6. 7. *In futurum annuntiaui tibi noua quædam atque abſtruſa, quæ tu ignorabas. Jam enim creata ſunt recens, & non jam olim. (Audita feci tibi noua extunc, & conſeruata ſunt, quæ neſcis: Nunc creata ſunt, & non extunc.)* Jeſ. LXV. 17. *Ego creo cœlos nouos, & Terram nouam.*

Vires Naturæ neutiquam excedit Hominum, Ædium à Terra abſorptio, dehiſcente, & os ſuum aperiente. Contingit id, quoties fundamina alicujus Prouinciæ, Urbis, Montis, ab Aquis ſubterraneis aliisue cauſis eroduntur: tunc vi grauitatis, & juxta Leges Naturæ grauiora, quæ ſuperſtant, corpora collabi neceſſe eſt: vel, quoties à Terræ motu Cortex Terræ ſuccutitur ita, ut portio in cauitatem ſubjectam decidat. Exempla ſuggerit, eaque numeroſa, Sicilia, Italia, ipſa quoque Heluetia noſtra abſorptionem Plurii, pulcherrimi in Rhætia Vici, adhuc luget. *Latiſſimè hoc malum patet, ineuitabile, auidum, publicè noxium: non enim domos ſolùm & familias, aut urbes ſingulas haurit, ſed Gentes totas Regionesque ſubuertit: & modò ruinis operit, modò in altam voraginem condit, ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non eſt, ſaltem fuiſſe; ſed ſupra nobiliſſimas Urbes ſine ullo veſtigio prioris habitus ſolum extenditur. Seneca Nat. Quæſt.* L. VI. c. 1. Epicureiſat equidem hic idem c. 3. ſcribens, *nihil horum Deos facere, nec ira Numinis, aut cœlum concuti, aut Terram.* Nam & motus Naturales, naturaliſſimos imò, ubique & omni tempore obuios DEUS facit, ſed juxta leges ab ipſo latas. Sunt & Naturæ opera opera DEI; Aſt, quod nunc examinandum ſuſcepimus opus, extra ordinem illarum Legum eſt factum, verum Miraculum. Prænuntiat vir θεόπνευστος, Terrâ adhuc integra & clauſa, locum, tempus, modum, perſonas, &, quod prædicit, mox datur effectui. Sed, quod probè animaduertendum, non in Sicilia, non in Regno Neapolitano, aut Territorio Romano, Regionibus per Ignes ſubterraneos exeſis: non in montoſis Regionibus, quarum viſcera ſunt caua, ſed in Arabia arenoſa, deſerta, Terræ motibus, ut aliæ Prouinciæ planæ, longè minus,

nus, vel rariſſimè obnoxia. Et tamen in hac Regione dictum fuit factum: *Contigit enim, quum perfeciſſet omnia Verba iſta, quod Tellus ſub illis debiſceret, aperuitque Tellus os ſuum, & deglutiit eos, atque domos eorum, & omnes Homines, qui cum Korah erant, cum uniuerſa ſupellectile. Et deſcenderunt ipſi cum omnibus, quæ habuerunt, viui ad inferiores, operuitque eos Terra. (Confeſtim igitur ut ceſſauit loqui, dirupta eſt Terra ſub pedibus eorum. Et aperiens os ſuum, deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & uniuerſa ſubſtantia eorum. Deſcenderuntque viui in infernum, operti humo.)*

Occurrit paſſim in Sacris vox שְׁאוֹל *Scheol, inferi, inferiores, Grub*, ſignificatque in genere τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, viſcera Terræ, quæ ſub cortice hoc ſuperiori latent, DEO equidem clariſſimè perſpecta, nobis incognita, quia viſus ea non attingit. *Nudus ante illum extat infernus* שְׁאוֹל Job. XXVI. 6. Eſt ipſa hæc *Regio* ſubterranea *tenebris, & denſiſſima umbra, obſita, obſcura, qualis eſt caligo & umbra denſiſſima. (Terra miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis.)* Job. X. 21. 22. Hinc eſt, quod paſſim ſumatur hæc vox pro Sepulchro. En adlocutionem DEI ad Tyrum. Ezech. XXVI. 20. *Deponam te cum bis, qui deſcendunt in foueam ad populum Sæculi, & ponam te ad Terram inferiorem quemadmodum ſolitudines perpetuas cum deſcendentibus in lacum. (Et detraxero te cum bis, qui deſcendunt in lacum, ad populum ſempiternum, & collocauero te in terra nouiſſima, ſicut ſolitudines veteres, cum bis qui deducuntur in lacum)* Ubi τὸ Scheol graphica extat idea. Non proin dici poteſt eſſe Scheol, quò peruenit turba illa ſeditioſa, ipſum καὶ ἐξοχὴν ita dictum *Infernum*, ſed potius locum Sepulturæ, qualis & deſtinatur piis, ſub vario conſpectu deſcriptus. Job III. 12-18. Non ſanè Scheol damnatorum fuit *foues* illa, in quam ſeruum Jacobum Patrem abductione Benjaminis in Ægyptum *deducere* videbantur filii. Gen. XLIV. 29. non illa, de qua Ezechias lethaliter decumbens. Jeſ. XXXVIII. 10. *In præciſione dierum meorum ibo ad portas inferorum.* Viui itaque, judicio prorſus extraordinario, debebant ſepeliri Koritæ; quale quid Regius Pſaltes comminatus fuerat Eccleſiæ hoſtibus. Pſ. LV. 24. *Tu, ô DEUS, detrudes ſanguinarios iſtos & fraudulentos in puteum interitus*, & v. 16. *Derepente mors ſuper illos irruat, deſcendant viui ad inferos. Joſephum* ſi audimus, præceſſit abſorptioni Terræ motus ruptor. Ita is Ant. L. IV. c. 3. Σείεται μὲν αἰφνίδιον &c. *Terra horrendum repente contremuit, & undante ſuperficie, non ſecus quàm pelagus vento fluctuans, uniuerſum populum terruit: immani mox ſonitu eliſo, qua ſeditioſi tendebant, ſolum ſubſidit, & eodem momento omnes ad unum abſorbet: ſublatisque in hunc modum profanis, hiatus ille ita rurſum clauditur, ut ne veſtigium quidem ejus ſupereſſet.*

Sed & *Ignis egreſſus* eſt à DOMINO, qui *deuorauit ducentos & quinquaginta illos viros, qui ſuffitum faciebant: (Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum).* *Tantus* autem fuerat, *Joſepho* commentante, hic *Ignis, quantum nec homines ipſi unquam excitauerunt, nec in Terris ſponte ardentibus, nec in ſyluis per æſtum Auſtri flatu colliſis & attritis excitatum viderunt, ſed qualis diuinitus accendi poterat fulgentiſſimus ſimul & flagrantiſſimus*, λαμπρὸς καὶ φλογωδέστατος. Stabant ſeditioſæ Turbæ coryphæi ante Tabernaculum in conſpectu Columnæ Nubis & Ignis, ut vero omnino ſit ſimillimum, profulſiſſe ex ea Ignem verè fulmineum, ſed extraordinarium prorſus & miraculoſum, ſi ita fuere conſumpti illi 250. *unà cum Core, ut ne cadauerum quidem reliquiæ comparerent*, ὡς καὶ τὰ σώματα αὐτῶν ἀφανῆ γεγονέναι, ut iterum *Joſephus*, id eſt, in cineres redacti. Fulmen quippe ordinarium vel disjicit, vel accendit duntaxat, imò ſæpe maculam ſolùm nigricantem relinquit, & quos necat homines ſuffocat, illæſo plerunque corpore.

Monendum ὡς ἐν παρόδῳ fuiſſe magnam Miraculorum partem, quæ pro Religionis Judaicæ δοκιμασίᾳ in Veteri Oeconomia fieri volebat DEUS, terrificam prorſus, cum interitu multorum Hominum, ut hîc Koriticæ Turbæ, combinatam. Quum è contra Euangelii Veritas fundetur majori miraculorum numero, ſed talium, quæ & amicis & hoſtibus fuere ſalutaria: unicam Ficum legimus maledictam, & Porcorum gregem permiſſu Saluatoris in Mare præcipitatum. Regnabat ibi πνεῦμα δελείας εἰς φόβον Rom. VIII. 15. ut debuerint Homines ad officia ſua veluti cogi metu atque terrore: quum è contra ſub Noui Fœderis Oeconomia ſpiret Aura lenis, πνεῦμα υἱοθεσίας, quò Fideles DEO ſeruiant inenarrabili gaudio. Ampliorem hujus diſcriminis explanationem Theologis relinquo.

TAB. CCCVIII.

Num. Cap. XVI. verſ. 47. 48. 49.

47. Tulit itaque Aharon, quemadmodum locutus fuerat Moſes, & cucurrit in mediam concionem, & ecce clades cœperat in populo, imponensque incenſum expiauit populum.

48. Et quum ſtaret inter mortuos & viuos, cohibita eſt clades.

49. Fuerunt autem eorum, qui mortui ſunt in clade iſta, quatuordecim millia & ſeptingenti, præter eos, qui mortui erant in negotio Korah.

47. Quod cum feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam jam vaſtabat incendium, obtulit thymiama.

48. Et ſtans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus eſt: & plaga ceſſauit.

49. Fuerunt autem qui percuſſi ſunt, quatuordecim millia hominum & ſeptingenti, absque his qui perierant in ſeditione Core.

ILluſtre *Mortium ſubitanearum*, de quibus *Lanciſius*, Exemplum, ſed & tremendum, imo miraculoſum. Heic philoſophari non licet, neque de cauſa, an ſubitanea fuerit vel condenſatio ſanguinis, vel rarefactio, Cordis Cerebriue oppreſſio, neque de cura, præſeruatoria nempe eorum, quos idem manebat ſupplicium, niſi ſuffitibus ſacris interueniſſet Aharon, & Moſes precibus pro rebelli populo. Fuit namque ſententia lata v. 45. ita DOMINUS ad Moſen. *Separemini è medio congregationis iſtius, ut conſumam eos ſubito.* Dictum factum. v. 46. *clades cœperat in populo. (plaga deſæuit)* Peſtis ſi fuit, adeò cita & pernicioſa, ut ſimile quid juxta Naturæ curſum oriri non poſſit. Miraculi Criterion eſt ipſa Rebellio, rebellibus indicta pœna, pœna ſine mora executioni data in 14700. præſeruatio reliquorum per ſuffitum.

TAB. CCCIX.

Num. Cap. XVII. verſ. 7. 8.

7. Et repoſuit Moſes Virgas illas coram DOMINO in Tentorio Teſtimonii.

8. Factum eſt autem poſtero die, quum veniret Moſes in Tentorium Teſtimonii, en Virga Aharonis pro domo Leui floruit, proferens germen, & prorumpens in florem reddidit Amygdalas.

7. Quas cum poſuiſſet Moyſes coram Domino, in tabernaculo Teſtimonii.

8. Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati ſunt.

Excla-

NUMER. Cap. XVI. v. 47. 48. 49.
Subitaneæ mortis expiatio.

IV. Buch Mosis Cap. XVI. v. 47. 48. 49.
Verwehrung plötzlicher Todes-Fällen.

I.G. Thelott sculp.

NUMER. Cap. XVII. v. 7. 8.
Virga Aharonis.

IV. Buch Mosis Cap. XVII. v. 7. 8.
Aarons blühende Wunder-Ruthe.

I. B. Probst sculp.

EXclamare licebat nuperrimè, quum viui abſorberentur à Terra Koraitæ rebelles, ex Pſal. LXVIII. 36. *Tremendus es, ô DEUS, de ſanctuariis tuis.* Nunc exclamare licet, *admirandus es ô* DEUS, quæ *Lutheri* eſt Verſio, *wunderſam biſt du ô GOTT in deinem Heiligthum.* Nam ecce, tradit cujuslibet Tribus Dux ſeu Princeps virgam ſuam aridam, & Virga Aharonis pro Tribu Leui in Tentorium depoſita coram DOMINO, totius Exercitus Duce Generaliſſimo, unica nocte floret, germinat, reddit Amygdala, reliquis omnibus manentibus aridis, exuccis, ἀκάρποις.

Notandum heic, omni æuo, apud omnes penè Nationes, habuiſſe Reges, Principes, Duces, non duntaxat *baculos*, quibus incederent ambulantes, ſed quoque *Sceptra*, Regiminis, quod gerebant, ſymbola ſiue notas characteriſticas, à DEO, quod prætendebant, ſibi tradita. Apud *Heſiodum Minos* Cretenſis proponitur, ut talis, qui Jouis habeat ſceptrum, Ζηνὸς ἔχων σκῆπτρον. Ipſis Sacerdotibus, qui etiam ſibi arrogabant dominium, erant apud Græcos *Sceptra*, apud Romanos *Litui.* Apud *Homerum Iliad.* l. v. 14. 15. legitur Sacerdos *Chryſes.*

Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλε Ἀπόλλωνος
Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ.

Coronas habens in manibus eminus ferientis Apollinis
Aureo cum Sceptro.

Apud *Perſas* habebant *Magi* ῥάβδας ex Lauro, ἄνσακοι dictos: ſunt adhuc Epiſcopis ſua *Peda*, ſimilia fere Augurum *Lituis.*

Aſt nullius ſeu Principis ſeu πρωτοιερέως Sceptrum Miraculo fuit inauguratum, quale Aharonis. Non enim, quod in Textu narratur, contigit caſu, non ex naturalibus cauſis, ſed debebat euentus reſpondere DEI mandato, promiſſioni & prædictioni. Extat Mandatum v. 1. 2. 3. 4. *Loquutus eſt* DOMINUS *ad Moſen dicens: Loquere ad filios Iſrael, & cape ab eis ſingulas Virgas, juxta patrias domos, à cunctis ſcilicet primoribus eorum juxta domos patrum ſuorum, duodecim nempe Virgas, ſcribesque ſuper cujusque Virgam nomen ejus —— Repone autem eas in tentorium conſtitutionis coram Teſtimonio. (Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere ad filios Iſrael, & accipe ab eis virgas ſingulas per cognationes ſuas, à cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & uniuscujusque nomen ſuperſcribes virgæ ſuæ. — Ponesque eas in tabernaculo fœderis coram teſtimonio.)* Prognoſticum ſeu promiſſio v. 5. *fiet ut virga illius Viri, quem elegero, germinatura ſit.*

Pro Miraculi illuſtratione animaduertenda eſt Temporis circumſtantia. Jacebat virga Aharonis non per Menſes, non per Hebdomadas, ſed vix per νυχθήμερον. *Factum eſt poſtero die, quum veniret Moſes in Tentorium Teſtimonii, en Virga Aharonis —— floruit. (Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron.)* Quæ heri exucca fuit prorſus, & arida, hodie ſucci plena viret. Ut huc prorſus non quadret, quod legimus apud *Caſſianum L. IV. Inſtit.* c. 24. de Abbatis cujusdam in Oriente baculo, qui poſt triennalem aſperſionem Aquæ tandem germinauerit, vel & floruerit: ubi notandum, Terræ fuiſſe infixum. Non tranſcendit Naturæ vires virgæ ſeu ſurculi ab Arbore reſciſſi, Terræque infixi radicatio, & à ſucco attracto germinatio, earum inprimis Arborum, quæ ſucco nutritio gaudent tenaciori, vicidiori, oleoſo, ut Olearum & Salicum. Et tamen hujusmodi productionibus uſus fuit ὁ μυριοτέχνης, in Gentiliſmo æquè ac Chriſtianismo ad ampliandum ſuum Regnum. Quis iuerit inficias, obuia paſſim eſſe θαύματα hujusmodi ficulneis fundamentis nixa? *Plutarcho* teſte in *Romulo*, primi hujus tantæ Monarchiæ fundatoris Haſta excreuit in *Cornum.* Pauſaniâ in *Corinthiacis*, *Herculis* claua ex Olea ſilueſtri parata refloruit Terræ infixa. De *Turcis* narratum memini, *Roſas* ſibi procurare ἀνθοφίλας media Hyeme adſperſione Spiritus Vini, Frutice tamen ipſo hoc Experimento pereunte. Sed heic temporis decurſu eſt opus, neque protrudunt flores ſuos Roſæ ſpatio unius diei aut ſeptimanæ. Et proſtant paſſim Hortulanorum Experimenta, qui paucas intra Horas ſemen *Petroſelini* aut *Endiuiæ* ad germinationem cogunt. Heic nihil horum. Deponuntur, & partim Naturæ viribus, partim miraculoſæ DEI Potentiæ exponuntur duodecim Virgæ aridæ in Climate æſtuoſo, loco ſicco, ubi neque à Rore Cœli, neque à Pluuia irrigari poterant: & ex his omnibus Virgis ſola germinat, nocte elapſa, Aharonica, floret, fert fructus. Inacceſſibile heic omne humanum artificium. Solus in auxilium venit, qui καλεῖ τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα. Rom. IV. 17. Non ſanè poterat magis harum virgarum ulla Solis Naturæ viribus revireſcere, ac *Sceptrum* illud *Achillis Homer. Iliad.* α. v. 234.

Νὴ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ, μὲν οὔ ποτε φύλλα καὶ ὄζους
Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
Οὐδ' ἀναθηλήσει, περὶ γὰρ ῥα δὲ χάλκος ἔλεψε
Φύλλα τε καὶ φλοιόν.

Certè per hoc Sceptrum quandoquidem nunquam folia & ramos
Producet, ex quo ſemel inciſionem in montibus reliquit,
Neque reuireſcet: circumcirca etenim hoc Æs decorticauit
Foliaque & corticem.

His conſideratis obſtupeſcet Atheorum ac Pſeudo-Politicorum malitia, qui Moſen per pias

fraudes Aaroni πρωτοιερέως dignitatem procuraſſe prætendunt.

Meretur ulteriorem conſiderationem Virga hæc Aharonica. De *Amygdalo* Arbore notum, pertinere ad filios ante Patres, quia primo Vere protrudit Flores lætè rubellos, antequam germinent folia, & menſibus nonnullis exactis tandem profert Fructus. Sed heic videmus Amygdali ramum, aridam virgam, unica nocte virentem, ſucco plenam, germinantem, Gemmas trudentem & folia, virentem, florentem, & fructibus onuſtam: addo, de quo haud dubium, decorticatam ante fuiſſe nouo Cortice obductam, ſicque ex mortuo corpore reuiuificatam. Dignum mehercle Miraculum exclamatione illa Exod. XV. 11. *Quis ſicut Tu magnificus ſanctitate? formidabilis laudibus, faciens admiranda?* Imo digna Miracula plura, octo namque numerat M. *Chriſtianus von Stöcken* Epiſcopi Lubecenſis Eccleſiaſt. aulic. & Superintendens in *Diſſ. Inaug. de Virga Aharonis florida*, quam Wittebergæ habuit Præſide *Chriſtiano Kortholt* S. Th. P. 1685. Et ſanè ita mentes Judæorum perſtrinxit θαυμάσιος hæc Virga, ut eam in Siclis ſuis, ſi genuini ſunt, qui ita notantur, repræſentarint, ubi ex unâ parte videre licet vas Mannâ refertum, Virgam Aharonis ex altera.

Virgam hancce non *Amygdali* fuiſſe, ſed *Styracis* Arboris voluere Patres. Ita *Tertullianus Carm. adv. Marc.*

Hic Aaron eſt virga Crucis, quæ germina profert,
Ipſi diſſimilis, Styracis tamen arbore nata.
E mox:
Et virga Styracis fructus Nucis attulit: ipſa Virginis hæc ſpecies, genuit quæ ſanguine corpus
Conjuncta in Ligno ſedabit mortis amarum,
Interius dulcem Fructum.

Adſcendunt Rabbini ad Creationis tempora, dicuntque, reſciſſam fuiſſe hanc *Virgam* ex *Arbore Vitæ* in Paradiſo, uti quoque Lignum illud, quo mediante Moſes Aquas amaras reddidit dulces, illudue, cui adfixit Serpentem æneum. Fidem majorem meretur, quam alii recutiti Doctores, *Joſephus. Is Ant.* L. IV. c. 4. expreſſis ſtatuit verbis, fuiſſe Amygdalum ἐκ δὲ τῆς Ἀαρῶνος βλαστές τε καὶ κλάδες ἀναφῦντας. ἐώρων, καὶ καρπὸν ὡραῖον, ἀμύγδαλα δ' ἦν, ἐκ τε τότε ξύλε τῆς βακτηρίας κατεσκευασμένης. Imo neceſſe eſt fuiſſe Amygdalum, quæ Amygdala, teſte Textu, portauit, niſi & heic nouum velimus ſtatuere Miraculum.

Miraculis accenſeri id quoque debet, quòd Virga hæc Aharonica manſerit virens, florens, frugifera, recens, per multa Secula, id quod volunt *Abulenſis*, *Bonfrere*, *Corn. à Lapide*, *Friedlieb*, *Calouius*, alii. Id ſaltem certum, adſeruari debuiſſe virgam hanc in perenne rei geſtæ teſtimonium, v. 10. 11. *Et dixit DOMINUS ad Moſen: Reſtitue virgam Aharonis ante teſtimonium, ut reſeruetur in ſignum filiorum rebellium, & ceſſet murmuratio eorum à me, ne moriantur. Fecit itaque Moſes, quemadmodum præceperat ei DOMINUS, ſic inquam fecit.* An verò aſſeruata fuerit in ſanctiſſimo extra vel juxta Arcam, quod indicare videntur verba, ante *Teſtimonium*, vel recondita intra Arcam, aliis dijudicandum linquo. Poſterius probare videtur Hebr. IX. 4. ἐν ᾗ (Κιβωτῷ τῆς διαθήκης) στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ Μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης. Alius item, non mei, eſt fori explicatio typica Virgæ hujus amygdaliferæ, neque inuidebo iis gloriam, qui virgam hanc cum vaſe mannâ repleto aſſeruari prætendunt in Templo Lateranenſi Romæ, vel Pariſiis, vel S. Saluadoris in Hiſpania, vel Burdigalæ apud S. Seuerinum.

A. Amygdalus.

B. Styrax. item Numi Judaici vaſculum Mannæ & Virgam hancce virentem more ſuo repræſentantes.

TAB.

NUMER. Cap. XIX. v. 2.
Vacca rufa.

IV. Buch Mosis Cap. XIX. v. 2.
Die rothe Kühe.

C. D. Heiman sculp.

NUMER. Cap. XXI. v. 6-8-9.
Serpentes urentes.

IV. Buch Mosis Cap. XXI. v. 6-8-9.
Brennende oder feurige Schlangen.

G. D. Heüman sculps.

TAB. CCCX.

Num. Cap. XIX. verſ. 2.

— Loquere ad filios Iſrael, ut adducant ad te bucculam rufam, ſine vitio, in qua nihil poſſit reprehendi, cui jugum non fuit impoſitum.

— Præcipe filiis Iſrael, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portauerit jugum.

ESt heic פָּרָה *parah*, fœmininum פָּר *par*, *vacca* adhuc integra, τέλειος, quæ nondum ſubiit jugum. Talem pollicetur Diomedes ſe Palladi immolaturum. *Homer.* Il. κ'.

Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ βέξω βοῦν ἦνιν εὐρυμέτωπον
Ἀδμήτην, ἣν ἄπω ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.

Anniculam, latæque tibi mactabo juuencam
Frontis, & edomita nondum ceruice ſubactam.

Debebat autem hæc *Vacca* eſſe *rufa*, imo perfectè rufa, jungunt enim Judæi תְּמִימָה אַדֻמָּה

Proin *Maimonides Tr. de vacca rufa* c. 1. §. 2. *Si duos ſolùm pilos albos aut nigros ſibi mutuo incumbentes habuit in medio loci depreſſi, aut inter duos poros, habebatur pro polluta*, i. e. ad ſacrificium inepta. Ita quoque *Plutarchus* in *Iſide* de Ægyptiorum ſuperſtitione, τῶν βοῶν τὰς πυρρὰς καθιερεύσιν, ἄτως ἀκριβῆ ποιέμενοι τὴν παρατήρησιν, ὥςε κἂν μίαν ἔχῃ τρίχα μέλαιναν, ἢ λευκὸν, ἄθυτον ἡγεῖσθαι. *Boues rufos immolant, hoc tam accuratè obſeruantes, ut ſi bos vel unum pilum nigrum aut album habeat, putetur eſſe profanus. Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 27. & 29. Color ita Animalis immolandi fuit Ægyptiis & Iſraelitis idem, ſed non ſexus, dum illi marem ſeligebant, hi fœminam.

TAB. CCCXI.

Num. Cap. XXI. verſ. 6. 8. 9.

6. DOMINUS igitur immiſit in populum ſerpentes urentes, qui populum mordebant, & mortuus eſt ex Iſraele populus multus.

8. Dixitque DOMINUS ad Moſen: Fac tibi (Serpentem) urentem, & pone eum ſuper palum in ſublime ſublatum, fietque ſi Serpens aliquem momorderit, intueatur eum, & incolumis erit.

9. Fecit itaque Moſes Serpentem æneum, & poſuit eum ſuper palum erectum, fiebatque ſi quem momordiſſet Serpens, intuens Serpentem æneum ſanabatur.

6. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes: ad quorum plagas & mortes plurimorum.

8. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, viuet.

9. Fecit ergo Moyſes Serpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.

Nechaſchim Seraphim, נְחָשִׁים שְׂרָפִים Serpentes urentes, cognomine hoc donantur aut à rubro, æneo, igneo colore, quod *Vatablus* vult, vel potius, quia & halitu & morſu in corporibus rebellium urentem excitarunt dolorem, hinc & dicti πρηστῆρες, καύσωνες. Nobis ſatis rectè *brennende Schlangen*, ſicuti vocamus Urticas *brennende Neſſlen*, vel, quod *Ludolfo* placet *Comm. in Hiſt. Æth.* p. 168. *Brand-Schlangen* potius quàm *feuerige Schlangen*; quo & *Durſt-Schlangen* nomine deſignat *Kolb Cap. Bon. Spei* p. 213. Serpentem cubitalem, colli lati, dorſi nigricantis, *Dipſas*, *Preſter* aliàs dictum, cujus morſus illico corpori infert tumorem fluido ſanguini coagulationem ſiti fere inextinguibili ſociatam, lethalem, ni ſuccurratur promptiſſimè. Hunc Serpentem ipſe per *Serpentes* noſtros *Urentes* intelligit. Ubi animaduertendum, excitari hujusmodi dolores in viſceribus abdominalibus, imo & ſæpe in toto corpore, à Venenis corroſiuis, Arſenico, ſublimato Mercurio, Ærugine: vidi ſanè in Cœnobio Angelimontano Patres ex Ærugine vaſis cupreis abraſa conqueri non duntaxat de torminibus Stomachi & Inteſtinorum, ſed quoque de doloribus Igneis ad inſtar urentibus, qui decurrebant per artus: integram Hiſtoriam Colicæ hujus ſpasmodicæ vide ſis in operibus meis Hiſtorico-naturalibus, nominatim *Itiner. alpin.* p. 14. Edit. Belg. Inferuntur & talismodi dolores à Cicuta, Serpentibus, aliisue Animalibus venenatis, Aqua Forti. Neque difficilis eſt αἰτιολογία. Conſtant hujus generis Venena particulis acutis, quibus neruoſæ partes qualescunque vellicantur, arroduntur, imo verò perforantur, ut breui oriantur Inflammationes ſummè dolorificæ, & inſequatur Gangræna, ſanguinis coagulatio, circuli ſuppreſſio, Mors. De qua re fuſius *Wepfer de Cicuta*, *Linden de Venenis*, alii.

Aſt in Natura non una *Serpentum* morſibus ſuis *Urentium* ſpecies. Quænam igitur rebellibus his immiſſa? Placet *Bocharto Hieroz.* P. II. L. III. c. 13. qui hac in re aliis facile palmam præripit, *Hydrus* ſiue *Cherſydrus*; idem nempe eſt uterque, *Hydrus* dictus Hyeme, quamdiu in Aquis paludoſis latitat, χέρσυδρος Æſtate, ἐν χέρσῳ, in ſicco, paludibus exſiccatis, viuens, magisque tunc, ſalibus venenatis exaltatis, virulentus. *Virg. Georg.* L. III.

Poſtquam extra uſta palus, terræque ardore dehiſcunt.
Exſilit in ſiccum, & flammantia lumina torquens,
Sæuit agris, aſperque ſiti, atque exterritus æſtu.

Et tunc inprimis ſunt Cherſydri effectus urentes. Audi *Nicandrum Theriaccon* v. 363.

- - - - τὰ δ' ἄλγεα Φωτὰ δαμάζει
Μυρία πυρπολέοντα, θοῶς δ' ἐπὶ γυῖα χέονται
Περκόνες.

- - - - Homines domant dolores
Infiniti tanquam incendiis depopulantes,
ſtatim autem per membra ſparguntur
Puſtulæ urentes.

Hujusmodi veneno interemptus dicitur *Hercules* veſte indutus ab *Hydræ Lernææ* veneno infecta. *Ouid. Met.* L. IX. *Fab.* 3.

Ipſe cruor gelido, ceu quondam lamina candens
Tincta lacu, ſtridet, coquiturque ardente Veneno.
Nec modus eſt, ſorbent auidæ præcordia flammæ,
Cœruleusque fluit toto de corpore ſudor,
Ambuſtique ſonant nerui, pulmonibus errat
Ignis edax imis, perque omnes paſcitur artus.

Audi *Herculem* ipſum querulum apud *Senecam* in *Herc. Oetæo.* v. 216.

Eheu! quis intus Scorpius, quis feruidâ
Plagâ reuerſus Cancer infixus meas
Urit medullas?

Hydri autem deſcriptionem hanc dat *Leo Africanus* L. VIII. c. 13. *Serpens eſt curtus, cauda tenui, & circa collum gracilis, in Lybiæ deſertis agit: Virus habet perniciosiſſimum, neque aliud morſui remedium ferunt, quam eam Membri partem exſcindere, priusquam virus in reliqua membra penetret.* Haud abludit, quam à *Gregorio* ſuo accepit *Ludolfus Hiſt. Æth.* L. I. c. 13. *Serpens datur apud nos Brachii longitudine & craſſitie colore puniceo, ſed ſubfuſco, ſub fruticibus aut herbis latens: illuc ſi acceſſerit homo vel Brutum, forti halitu tam peſtilens ac fœdè olens virus expirat, ut Animali breui pereundum ſit, niſi maturè remedium afferatur.* Iconem ſiſto ex perantiquo Codice MS. *Dioſcorideo*, prouti eam dat *Lambecius Bibl. Vindob.* L. VI. p. 294. 298. Fig. A. Χέρσυδρος B. Δρύινας ὕδρος.

Rationes pro *Hydris*, quæ apud *Bochartum* leguntur, ſunt ſequentes. Expendamus eas. Jeſ. XXX. 6. deſcribitur *Ægyptus* tanquam Regio, è qua prodeunt *Regulus*, & *Preſter urens, ac volitans* שָׂרָף מְעוֹפֵף *Saraph meopheph*. De hujusmodi ſerpentibus alatis & volantibus, ex Arabia & Lybia Ægypto inuolantibus multa legere licet apud *Ciceronem*, *Joſephum*, *Herodotum*, *Melam*, *Lucanum*, *Solinum*, *Ammianum*. Dabitur commodior alibi differendi locus, an hi ſerpentes ſint reuera alati, & volantes, vel quaſi, ob ſuam pernicitatem? Si cui obſtat Arabiæ

biæ ſiccitas, locus ubi Iſraelitis ipſis deficiebant Aquæ, Hydris proin locandis ineptus, is ſciat potuiſſe utique hinc inde exiſtere paludes fœdas & fœtidas, potui ineptas, ubi potuerint latitare Hydri, qui *Nicandro* teſte viuere amant ἐν τῇ βρυχθώδει λίμνῃ, juxta Scholiaſten ἀνύδρῳ ἢ ξηρᾷ, ἢ ὀλίγον ὕδωρ ἐχούσῃ. Imo verò viuunt & in ſicco χέρσυδροι, paludibus exiccatis, ſpeciatim ardente Sirio.

- - - - - - ὅταν ὕδωρ
Σείριος ἀζήνῃσι, τρύγη δ' ἐνὶ πυθμένι λίμνης.

- - - - - - - cum Aquam
Exiccauit Canicula, & ariditas eſt in fundo Lacus.

Quæ ipſa temporis circumſtantia eſt ea, qua Aaron obiit in monte Hor, quinti menſis primo die Num. XXXIII. 38. qui cadit in 19. Jul. *Expirantem* autem *Aharonem fleuerunt triginta diebus uniuerſa domus Iſrael.* Num. XX. 29. Secuta pugna cum Rege Arad, & C. XXI. populi murmur cum pœna ſerpentum, quæ proin caderet ſub Auguſti finem. Et præterea ex Iſraelitarum itinere colligere licet, offendiſſe paſſim Aquas, in *Oboth*, *Jie — abarim*, ad Torrentem *Zered* & in ipſo præſenti Capite ad fontem *Beer*. Accedit, quod poſt Aharonis mortem ſalutauerint *Terram*, quæ *Torrentes habet Aquarum* Deut. X. 7.

Naturali Hiſtoriæ congruit magis, ſi dixeris, rebellium Iſraelitarum Carnifices, ſi Hydræ fuerint, vixiſſe in paludibus vicinis, quàm per Aerem, quod *Bocharto* præplacere videtur, huc aduolaſſe. Quamuis haud inficias eam, juſſu DEI viribus Naturâ ſuperioribus huc confluxiſſe, ut Iſraelitis eſſent in pœnam. Tantò quidem id affirmo audentius, quia Experientiâ conſtat quotidianâ, etiam in calidioribus illis Orientis Occidentisue Climatibus, ubi patriam quaſi ſedem habere videntur, & maximi & perniciosiſſimi Homines ab illis ſatis eſſe immunes, ut niſi irritati rarò feriant, certè non ineant prælia, ubi Hominum plures ſunt congregati in unum.

Non eſt aggreſſus duntaxat miraculoſus, ſed & cura. *Fecit Moſes Serpentem æneum, & poſuit eum ſuper palum erectum, fiebatque ſi quem momordiſſet ſerpens, intuens ſerpentem æneum ſanabatur. (Fecit ergo Moſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.)* Habent ſanè, ſi naturalibus cauſis nititur hæc cura, quod ſibi gratulentur ſuperſtitioſuli illi, qui Amuletis, Signis, Characteribus, Scriptis, ore prolatis, appenſis, morbos curare præſumunt. Qui, quæſo, ſpicula venenata corporibus illata, in ſolidis æquè ac fluidis partibus vires ſuas exſerentia, vel corriget, vel expellet, ſerpens ex Ære erectus? quî vel coagulabitur rarefactus, vel rarefiet coagulatus nimium Sanguis? Ceſſat heic omne Ratiocinium. Et huc omne redit, curare eum ſolum, qui vulnerat. Naturam ſi conſulas, augeri debuiſſet potius Morbus ex aſpectu Serpentis colore rubri, vel fortè ejusdem cum viuis, quàm vel ſedari vel tolli: conſtat id exemplo Hydrophoborum, qui ab Aquæ aſpectu potuue abhorrent, ardentiſſimâ licet ſiti preſſi, imaginantes ſibi, præ oculis eſſe & in ipſa Aqua, canes rabidos, qui rictu aperto aggreſſus tentent.

Inanis videtur quæſtio, undenam habuerint Iſraelitæ *Æs* illud, è quo formatus fuerit Serpens, poſtmodùm in Idololatricos uſus ab ipſis Iſraelitis conuerſus. Notum eſt, aſportaſſe ſecum ex Ægypto varii generis Metalla, Aurum certè & Argentum, cur non & Æs? Nihilominus conjectare licet, offendiſſe Æs, ubi poſuerunt caſtra, nempe in פינן *Phinon* vel פונן *Phunon* qui locus memoratur Gen. XXXVI. 41. Num. XXXIII. 42. 43. 1. Paral. 1. 52. Conſtat ex Patribus, *Euſebio*, *Athanaſio*, *Theodoreto*, *Nicephoro Calliſtho*, *Hieronymo*, aliis, locum in Idumæa ſitum, *Phæno*, *Phennen*, *Fenon*, *Metallo-fenon* dictum metallifodinis abundaſſe, ad quas relegatio fiebat, ſicut hodie ad Triremes. Hodie quidem de his Ærifodinis nîl conſtat. Sed teſtem habemus *Ariſteam* in *Hiſtoria de ſeptuaginta Interpretibus*, ἐλέγετο δὲ καὶ ἐκ τῶν παρακειμένων ὀρέων τῆς Ἀραβίας μέταλλα χαλκοῦ καὶ σιδήρου συνίσασθαι πρότερον, ἐκλελεῖφθαι δὲ ταῦτα καθ' ὃν ἐπεκράτησαν χρόνον Πέρσαι. *Narrabatur etiam ex Arabiæ montibus* (Judææ) *vicinis prius Metalla Æris & Ferri fuiſſe eruta, ſed ea defeciſſe* (i. e. neglecta fuiſſe) *quo tempore Perſæ rerum potiebantur.*

Myſticam vel typicam ſerpentis Ænei hiſtoriam, & natas circa eam controuerſias ſilentio præteriens aliis, quorum eſt has vel inquirere, vel decidere lites, linquo.

TAB. CCCXII.

Num. Cap. XXII. verſ. 28. 29. 30.

28. Et aperuit DOMINUS os Aſinæ, & dixit ad Bileam: quid feci tibi, quod me jam ter verberaſti?
29. Et ait Bileam ad Aſinam: Quod mihi illudis, ſi gladium meum haberem, jam te interficerem.
30. Et ait Aſina ad Bileam: Annon ego ſum Aſina tua, qua veheris ab eo tempore in hodiernum usque diem? num tale quidpiam facere tibi ſolita ſum? Et dixit Bileam: Non.

28. Aperuitque Dominus os Aſinæ, & locuta eſt: quid feci tibi? cur percutis me ecce jam tertio?
29. Reſpondit Balaam: quia commeruiſti, & illuſiſti mihi, utinam haberem gladium, ut te percuterem.
30. Dixit Aſina: Nonne Animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueuiſti usque in præſentem diem? dic quid ſimile unquam fecerim tibi? At ille ait: Nunquam.

ESt *loquela* Hominis proprium, ut loqui amant Logici, in quarto modo, μέγα ΘΕΟΥ θαυματέργημα. Attende ad Organa, & ſubſcribes utroque pollice. Eſt *Lingua* cum ſuis Muſculis, vaſis ſanguiferis, neruis, membranis, glandulis, comparanda cum digitis, arcu & chorda, quibus vitam veluti damus & tonos Inſtrumentis varii generis Muſicis: nunc ſeſe projicit illa extra Labiorum limites, nunc allidit ad dentes, ad Palatum: mota nunc ad dextram, nunc ad ſiniſtram, nunc antrorſum, retrorſum, nunc ſurſum, deorſum. Mira *Tracheæ* ſtructura cum fiſtula in Organo Pneumatico, vel ſola accurtatione & elongatione, anguſtatione & dilatatione ſua efficiens infinitè variantes tonos: diuiſibilis *Glottis* rimula illa Laryngis vix $\frac{1}{12}$. pollicis ſuperans in partes 9632. & totidem aperturarum capax, ſiue tonorum tot, quot Auditus Organum diuerſimodè percellitur. Poſcit autem quæuis vocis variatio mutationem delicatiſſimi Organi, dilatationem nempe in graui ſono, contractionem in acuto. Junge *Palati* fornicatam ſtructuram, & productioni Vocis deſtinatas alias partes, & veluti id perpendes, Directorem rationalis hujus Muſicæ & diſcurſiuæ eſſe *Animam* noſtram tot & tam infinitè variantium Mutationum, ignaram licet & Organorum, quibus utitur, & motuum, quos jubet. Mandat cœco veluti nutu, & en! ſonos modulatur, Muſicamue format Organum. *Obſerua*, qui hæc animo voluis, *linguam tuam à malo, & labia tua, ne dolum loquantur.* Pſal. XXXIV. 14. Et miro hoc loquelæ tuæ beneficio, à DEO tibi gratioſè conceſſo, non utere niſi ad celebrandas Creatoris tui laudes, memor ſententiæ apodicticæ Saluatoris, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν, ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως. Matth. XII. 36. Perge ad Loquelam Hominis rationalem, quæ animi exprimat ſenſa ſeu cogitationes, noua videbis Miracula, quæ omnem noſtrum ſuperant captum, & nouam ſternunt viam ad cognitionem & laudes opificis. Exprimit cogitationem hancce hæc Vox, aliam alia, imo eandem hæc in hac Lingua, in alio Idiomate alia, & tamen ad Animæ nutum proferunt Homines diuerſarum Nationum infinitè variantes voces, ut frui poſſint commercio mutuo. Transi ad Animantia Ratione carentia, noua ſemper offendes Organa, nouas & variantes voces, ſeu potius Sonos, imo tot, quot variant genere; ampla iterum ſuggeretur DEUM laudandi materia, ſi Leonem audiueris rugientem, Bouem mugientem, Canem latrantem, Ouem balantem, Aues canoras: ſuam hæc Automata loquuntur ſingula Linguam, ejusdem & ſui ipſius ignara: Procurator heic ſit ipſe Homo, & tot Miraculorum interpres, admirator, ebuccinator. Quidquid agunt ſiue loquuntur illa, machinaliter agunt, imo, licet aliter edocta, non aliter poſſunt.

Fluit ex hoc præloquio, vel Conſectarii loco, eſſe conuerſationem *Aſinæ* cum *Bileamo* miraculum omnibus Naturæ viribus ſuperius. Aſſueta inſeſſui, non Loquelæ, loquitur, abſque quod habeat organa, loquitur ἄλογος illa cum Ratione. *Quid feci tibi*, inquit ad ſeſſorem, *quod me jam ter verberaſti?* His non contenta, à Pſeudopropheta reprehenſa regerit,

nouas



NUMER. Cap. XXII. v. 28. 29. 30.
Asina Bileami loquens.

IV. Buch Mosis Cap. XXII. v. 28. 29. 30.
Bileams redende Eselin.

I.G. Thelot sculp.

nouas in hac ſua Diſputatione formans inſtantias: *Annon ego ſum Aſina tua, qua veheris ab eo tempore in hodiernum usque diem, num tale quidpiam tibi facere ſolitus ſum? (Nonne Animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueuiſti usque in præſentem diem? dic quid ſimile unquam fecerim tibi?)* ὑποζύγιον ἄφωνον ἐν ἀνθρώπῳ φωνῇ φθεγξάμενον ἐκώλυσε τὴν τοῦ προφήτου παραφρονίαν. 2. Pet. II. 16. Quodſi vel per longam annorum ſeriem Jumentum hoc ſuum aſſuefeciſſet Bileamus, non plus didiciſſet diſcipula, quam Aſinus ille apud *Apulejum.* L. III. *Jam humano geſtu ſimul & voce priuatus, quod ſolum poteram, poſtrema dejecta labia humidis cum oculis obliquè reſpiciens ad illam tacitus expoſtulabam — Gemino ſermone nomen* Cæſaris *inuocare tentaui, & O quidem tantum diſertum ac validum clamitaui, reliquum autem* Cæſaris *nomen enuntiare non potui.* Eadem eſt querela *Lucii* illius, qui *Aſini* perſonam ſuſtinet, apud *Lucianum.* Ἀναβοῆσαι ὦ ζεῦ ὡς ἐβούλησα. Ἀλλ' ἡ μὲν φωνὴ ἐκ ἀνέβη μοι ἡ ἐμὴ, ἀλλ' ἡ τοῦ ὄνου ἐκ τοῦ φάρυγγος, καὶ μέγα ὠγκηθάμην. *Exclamare volui, o inique Jupiter, verum non mea vox è gutture, ſed Aſini vox aſcendit, magnumque rugitum edidi.*

Miraculo autem ſemel probato ceſſat omne Ratiocinium circa modum, quo locuta fuerit Bileami Aſina. An *Michael* Angelus loquutus fuerit per illam, quod voluere Doctores quidam Veteres apud *Theodoretum* & *Procopum in Num.* vel, an is fuerit potius *Gabriel*, quem ſeligunt Judæi? An, quod iidem volunt recutiti in *Pirke Aboth* f. 3. v. *Peſachim.* f. 154. os hocce loquens fuerit unum è 10. illis rebus, quæ demum finitâ Creatione productæ fuerint à DEO? Sunt autem, ſiquidem eas ſcire deſideras, reliqua nouem Entia poſt creata 1. Manna. 2. Fons. Num. XXI. 16. 3. Virga Moſis. 4. Schamir vermiculus, quo Solomon ſaxa ſtructuræ Templi deſtinata diſciderit. 5. Iris. 6. Columna Nubis. 7. Os, ſeu hiatus Terræ, qui Koram cum ſuis rebellibus abſorpſit. 8. Scriptura in Tabulis Fœderis. 9. Spiritus mali. Si hæc licita ſunt aliis, permiſſum quoque erit Philoſopho, præeunte *Bocharto Hieroz.* P. I. L. II. c. 14. dicere, fuiſſe *Linguam mouente DEO per Angelum modò ad palatum, modò ad Labia, modò ad Dentes alliſam & inflexam, prout erat neceſſe, & Aerem ad ſonos formandos requiſitum intra fauces compreſſum, ne per belluinos rictus intempeſtiue efflueret.* Sed omnium optimè ratiocinari mihi videntur, qui Tacitum agunt, quibus ſufficiunt verba Textus, *aperuit DOMINUS os Aſinæ*, id eſt, miraculo.

In Hiſtoriis profanis inuenias paſſim Animalia, quæ loquuta fuerint. Apud *Hyginum Aſtr.* L. II. *Bacchus Aſino illi, quo fuerat vectus, vocem humanam dedit.* Apud *Apollonium* L. II. *Argonaut. Phrixi* Aries, *Helle* in Helleſponto ſubmerſa

\- - - - αὐδὴν ἀνδρομένην προέηκε,
\- - - - vocem humanam miſit.

Eodem teſte L. II. c. 1150. Aries hic ipſe, conſilio Aſini, immolatus. αὐτὸς γὰρ ὁ κριὸς ἀνθρωπίνῃ χρησάμενος φωνῇ τοῦτο ποιεῖν προσέταξε. *Ipſe enim Aries humana voce uſus juſſit, ut hoc faceret.* Quod Mythologiæ fragmentum videtur deſumtum ex Iſaaci Hiſtoria, cui per miraculum erepto Aries fuit ſubſtitutus. Apud *Homerum Iliad.* τ'. *Achillem* Dominum alloquitur *Equus Xanthus* totis decem Verſibus à Junone nempe inſtructus.

Αὐδήεντα δ' ἔθηκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη.

Vocali conjux Jouis illum inſtruxerat ore.

Moſcho teſte in *Europa* hanc adloquutus eſt εὐρύκερως βοῦς, *bos latis cornibus*, ipſe nempe Jupiter ταυρόμορφος. *Manethone* Ægyptio Auctore, ut legitur apud *Suidam* in ἀρνίον, loquutus eſt Bocchori regnante *Agnus.* In Romana Hiſtoria Boues paſſim ſunt loquuti. *Plin.* L. VIII. c. 4. *Eſt frequens in Prodigiis priſcorum Bouem loquutum.* v. *Liuium* L. XXIV. XXVII. XXVIII. LI. Longum nimis foret, exſcribere, quæ vel fabuloſa excogitauit Antiquitas, vel Diabolus effectui dedit, vel Sacerdotes arte adjuuarunt, vel & recenſere artificia, quibus hodie Animantia varia adſuefiunt certarum vocum productioni.

Anſam dat v. 30. ſcribendi de *Aſinæ*, qua Balaamus fuit vectus, ætate. Infit illa. *Annon ego ſum Aſina tua, qua veheris ab eo tempore in hodiernum usque diem?* id eſt ab ineunte ætate. Sed eſt utraque, & Prophetæ & vectoris, ætas incognita, nulla proin data. Sed quidem ex Hiſtoria naturali notum, aſcendere Aſinos ad longum Annorum numerum, & juxta *Plinium* parere ad trigeſimum annum. In *Damire* legitur *Amilas Chalidi* filius Aſino ſuo vectus per 40. annos.

Id mecum mirabitur, qui imbecillitatem Hominis nouit, quî Propheta Aſinæ ſuæ loquenti adeo prompte, imperterritus adeò, reſponderit? vix ſanè erit ex millibus unus, cui non

Stant comæ, vox faucibus hæret,

cui adeò rarum, inopinatum obtingit φαινόμενον. De hac re non una eſt omnibus ſententia. Vult *Pellicanus* noſter, nil hoc fuiſſe inſoliti viro ſpectris aliisque hujusmodi Diaboli ludificationibus aſſueto. Ita quoque Gloſſæ marginales Bibliorum Italicorum. *Balaam non reſtò ammirato della voce dell' Aſina, come altri ſarebbono reſtati, anzi le riſpoſe come accoſtumato di udire cotalicoſe dai Diavoli ne i ſuoi incantamenti.* Si *Auguſtino*, *Bonfrerio*, *Menochio*, aliis, credimus, adeò ab Ira & vindictæ cupidine fuit commotus ſeſſor, ut Miraculo ipſi non attenderit. Lucem id fœneraretur aliquam, ſi conſtaret nobis, qualem tunc fouerint orientis

Philoſophi, atque Theologi, & Balaamus ipſe, de Animalibus, horumque Animabus opinionem. Quodſi μετεμψυχώσεως illud Dogma perantiquum obtinuiſſet illa Ætate, perſuadere ſibi facile poterat Propheta, fortè & Philoſophus, loquutam fuiſſe Animam Creaturæ olim rationalis ex ore hujus Jumenti. Eſt ſanè monſtroſum illud transmigrationis Dogma, cui adhuc ſubſcribunt Brachmanes Indi, primæ fere Antiquitatis, per totum Orientem latiſſimè diffuſum. Et habuit illud ipſe *Pythagoras*, ſi fides eſt *Philoſtrato vit. Apollonii.* L. III. c. 6. ab *Indis.* Forſan quoque ipſi Meſopotamiæ incolæ, aliique populi Orientales Hiſtorias ſeu Fabulas de Animalium conuerſatione Æſopicis illis ſimiles, & excogitarunt, & unus alteri recenſuerunt, tanquam pro veris, unde tantò minore conſternatione fuit Balaam perculſus. Placet & hæc conjectura *Clerico.* Optimus in hanc rem commentator eſt Diuus Petrus 2. Ep. II. 16. Bileamo παραφρονίαν adſcribens. Non certè mentis eſt compos, ſed παράφρων, qui Miracula pro ordinariis Naturæ Phænomenis adſpicit, ſicuti qui ex his Miracula facit atque Prodigia. Cæterum legi poteſt *Joh. Wilh. Hilliger Bileamus, ejusque Aſina loquens. Reſp. Joh. Krücken Hamburg.* Wittenberg Typ. Chriſtiani Schröter 1702. 4.

TAB. CCCXIII. CCCXIV. CCCXV.

Num. Cap. XXIII. verſ. 22.

DEUS qui educit eos ex Ægypto eſt ei veluti robur Rhinocerotis. *(a)*

(a) Ebr. alii Monocerotis.

DEUS eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis.

VIx eſt ex Animantibus aliquod, quod adeò varia ſubierit fata, ac id, de quo nunc quæſtio eſt. Feliciores ſunt ſuo ſenſu Phœnix, Gryphus, aliaque fabuloſa Animantia, dudum, quia non comparuere, in contumaciam judicata, & per ſententiam diffinitoriam Orbis eruditi ad Non Entia relegata. De *Unicornu* adhuc ſub Judice lis eſt. Quæſtio autem non attinet τὸ *An?* ſed τὸ *Quid?* Digna diſcuſſione materia. Adjumento nobis erit Philologia, ſed quoque, & inprimis, Phyſica, non minus, ac illa, Sacra, cum ſuis circa Unicornua varia Obſeruationibus. Videamus *Bocharto* ἀμφέχῳ *Hieroz.* P. I. L. III. c. 26. & 27. proprietates, Animali huic רְאֵם *Reem* vel רִים *Rem* Job. XXXIX. 9. in Sacris tributas. In Textu noſtro & Num. XXIV. 8. laudatur eminens ſtatura & robur. כְּתוֹעֲפֹת רְאֵם לוֹ Græci, ὡς δόξα μονοκέρωτος αὐλῷ, alii, *tanquam altitudines Reem ipſi ſunt*, Nobis, *eſt ei veluti robur, ſeine Stärcke.* Ex Pſal. XXIX. 6. conſtare videtur, eſſe Animal ἀλτικὸν ſiue πηδητικὸν, *ſubſilire facit eas ſicut vitulum, Libanum & Sirion ſicut vitulum unicornium. (Et comminuet eos tanquam vitulum Libani; & dilectus quemadmodum filius unicornium.)* Eſt porrò ferox & indomitum. DEUS ad Jobum l. c. *Voletne Rhinoceros tibi ſeruire? an morabitur ad præſepe tuum? alligabisne Rhinocerotem loro, ut arando porcas faciat? num te ſubſequens in profundis ſulcis glebas franget? (Numquid volet Rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? Numquid alligabis rhinocerota ad arandum, loro tuo? aut confringet glebas vallium poſt te?)* Certum eſt eſſe cornutum, ſiue unum habeat Cornu, ſiue plura, quibus cum præprimis vires ſuas exercet. *Meum cornu*, inquit Regius Pſaltes XCII. 11. *extolletur ut Monocerotis.* Et Deuter. XXXIII. 17. vaticinatur Moſes de Joſepho, ejusque poſteris, Tribubus nempe Ephraim & Manaſſe, *Decor ejus ut primogeniti bouis illius, & cornua illius ut Cornua Unicornis, quibus populos deturbabit pariter usque ad fines Terræ. (Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit Gentes usque ad Terminos terræ.)* Adde preces Dauidis Pſ. XXII. 22. *Serua me ab ore Leonis, & à cornibus Unicornium eripe me. (Salua me ex ore Leonis: & à cornibus Unicornium, humilitatem meam.)*

Sed quæritur nunc, qualenam ſit illud Animal רְאֵם. Vetuſtiſſimi Græci habent μονόκερως, quæ vox omnibus Animantibus unicornibus communis, proin æquiuoca. *Aquilæ* placuit ex Unicornibus *Rhinoceros*, ῥινόκερως. *Hieronymo* & *Monoceros* & *Rhinoceros.* Hinc & Latina noſtra in Textu *Rhinoceros*, in Gloſſa marginali *Monoceros.* Et potuiſſet omnino vernacula loco *Einborn* ponere *Nasborn.* Sed pleriſque Europæis Verſionibus placet *Monoceros, Einborn.* Eſt quoque *Rhinoceros* μονόκερως. Sanè ſi quod Animal reſpondet proprietatibus ſupra expoſitis, eſt *Rhinoceros*, quod ſeligit magnus *Ludolfus Hiſt. Æthiop. Comm.* p. 153. Pugnat equidem contra Rhinocerota eruditiſſimus *Bochartus*, ſed neſcio, an argumentis

cornu-

NUMER. Cap. XXIII. v. 22.
Reem. Rhinoceros.

IV. Buch Mosis Cap. XXIII. v. 22.
Einhorn das Nashorn.

I. G. Pinz sculp.

NUMER. Cap. XXIII. v. 22.
Urus, Dama, Platyceros, Oryx.

IV. Buch Mosis Cap. XXIII. v. 22.
Urochs, Damhirsch, Oryx.

I.G. Pinz sculp.

NUMER. Cap. XXIII. v. 22.
Orygum vetus Tabula.

IV. Buch Moſis Cap. XXIII. v. 22.
Alte Tafel von denen Orygibus.

I. G. Penz sculp.

cornutis ſatis, id eſt, ſat validis. Ignotam vult fuiſſe hanc Beſtiam Judæis Veteribus, Scripturæ Interpretibus, & ſic quoque Arabibus, quia neque in Arabia, neque in Palæſtina reperiatur. Quî conſtare id poſſet viro inſigni, haud video, ut probabile potius ſit, multa audiuiſſe Judæos veteres, etiam dum commorabantur in Ægypto, vel peregrinabantur in Arabiæ deſerto, de Animalis hujus qualitatibus & forma, utpote de quibus edoceri poterant ab Æthiopibus & Indis. Si notum non fuerat nomine ſuo proprio Æthiopico, ſeu Indico, numerari poterat propter ſtupendam magnitudinem ſuam inter Boues, quemadmodum & *Pauſanias* nuncupauit *Bouem Æthiopicum*. Et notari heic meretur, in Sacris *Rhinoceros* paſſim ſociari *Boui*, vel Bouino generi, ut Deuter. XXXIII. 17. Pſ. XXIX. 6. Quid quod ipſi Romani quam primùm Elephantes videre in Bello cum Pyrrho Rege, appellarint *Boues Lucas*, & adhuc cluent *Hippopotami*, *Boues marini*, *Bomarins*, *Buffles marins*. Non ſanè minori jure poterant ab hujusmodi exoticis Animalibus mutuare Locutiones varias, & Prouerbia, ac nos Europæi à Leonibus, Elephantibus aliisque ſeu Africanis ſeu Indicis beſtiis. Inueniet ſanè quisquis Sacrarum Literarum & Locorum ſupra expoſitorum notitia fuerit imbutus, vel primo obtutu in Æthiopia & Indiis noſtrum רְאֵם nempe Rhinoceros. Tab. CCCXIII.

Perplura, & tantùm non omnia, congerit Veterum de Unicornibus Animantibus teſtimonia, è quibus ſunt, quæ ipſi quadrant *Rhinoceroti*. Meminit *Cteſias Excerptis* apud *Photium Aſinorum unicornium* Equis majorum. εἰσὶν ὄνοι ἄγριοι ἐν τοῖς Ἰνδοῖς ἴσοι ἵπποις ἢ μείζες. Apud *Ælianum* L. IV. c. 52. & L. XVI. c. 20. Animal hocce Καρκάζωνον, *Carcazonum* dictum, Equi eſt magnitudine. Et *Ælianus* quidem cum *Cteſia* adſcribunt ei Cornu è fronte extans unius ulnæ vel ſeſqui, *Plinius* duarum, *Solinus* 4. pedum. Addit *Phile*, aſperius id eſſe limâ & ſagittâ acutius.

\- - - τραχὺ καὶ σιδηρέας ῥίνης
Ὀξύτερον αὐτὸ, καὶ τεθηγμένε βέλες.

Omnes hi tribuunt Beſtiæ huic feram atque indomitam indolem, & robur ingens. Quanquam vel hac occaſione id memorari mereatur, non tanti eſſe ponderis teſtimonia Scriptorum Veterum, atque nunc ſunt illa αὐτόπτων. Habebant illi pleraque ex relatione aliorum, imò & fabuloſa Animalia adeo deſcripſerunt, atque circumſcripſerunt, ac ſi reuera eſſent in rerum Natura, & ipſi ea ſuis vidiſſent oculis. In teſtes voco *Sphinges*, *Chimæras*, *Cerberos*, *Lamias*, *Gorgones*, *Sirenes*. Neque magni eſt conſenſus ipſorum momenti, quia copiandi artificium non magis illis fuit ignotum, atque eſt Eruditis modernorum Seculorum. Exemplo ſit *Pliniana* deſcriptio *Unicornu* L. VIII. c. 21. *Aſperrimam feram Monocerotem, reliquo corpore Equo ſimilem, capite Ceruo, pedibus Elephanto, cauda Apro, mugitu graui, uno Cornu nigro, media fronte cubitorum duûm eminente. Hanc feram viuam negant capi.* Quis non videt, committi heic fallaciam conjunctionis? congruunt Rhinoceroti aſperitas vitæ, pedes Elephantini, Cornu nigrum, quod quidem Naſo imponere debebant, non Fronti: ſed corpus Equinum, & Caput Ceruinum Monoceroti Africano, mugitus Bouibus unicornibus Indicis. Quod *Philoſtorgius* L. III. c. 11. narrat de Unicornu Conſtantinopoli depicto cum Capite Draconis, cornu paruo recuruo, collo barbaque longis, pedibus Leoninis, corpore Cerui, Chimæricis debet adſcribi figuris. *Pauli Veneti* deſcriptio Monocerotis, quam dat L. III. c. 15. in *Rhinoceros* quadrat prorſus. Eſt autem hæc: *Inueniuntur* (in Regno Basman Jauæ minoris) *Elephanti, & Unicornes in magna multitudine; Et ſunt Unicornes paulò minores Elephantis, pilum habentes Bubali, & Elephanti pedem. Habent caput ut Aper, & more Porcorum libenter morantur in luto, & aliis immunditiis. In medio Frontis geſtant Cornu unum, groſſum & nigrum; Linguam habent ſpinoſam, qua lædunt Homines & Animalia.* Non tam inhærendum eſt aliorum deſcriptionibus, quam Autopſiæ, & modernorum inprimis obſeruationibus, quibus veterum Fabulæ veluti nebulæ diſcutiuntur, ſed & ſubinde Fabulis infamia tollitur, ſiue id, quod fabuloſum hactenus viſum, veritatibus adnumeratur. Sanè ſi Patribus Luſitanis fides, qui apud *Agawos* in Regno *Damota* Animal offenderunt cum Cornu egregio longo in fronte, Equinæ formæ & magnitudinis, colore fuſcum, pilis in collo & cauda tenuibus nigris, denſiſſimarum ſyluarum incolam, non abludunt ab idea, hactenus de Unicornu circumlata, cui reſponderet Vetus Tabula *Orygum*, quam ex *Bocharto* heic inſerimus Tab. CCCXV. Arabes ſi conſules, quos longa ſerie recenſet vir laudatiſſimus, mira, & vel primo intuitu fabuloſa, venient obuiam. Ortus ex commiſtione Equi, imo & Balænæ, cum Elephante: ætas 700. Annorum; ſeptem Annorum mora in Utero Matris: cornu, dentes, ungulæ, in eodem uteri carcere, è quo ſubinde protrahens caput Arbores mordendo deglubat: pugna cum Elephantibus, quos perfodiendo ſuſtollat in altum, ut olim

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos.

Audies, unicam Beſtiam vaſtare 100. paraſangas, id eſt 3000. Stadia, Prouincias proin integras: inuictam eſſe ſagittis, & quibuscunque viribus ſuperiorem: ſuperari à ſola Aue *Ruch*, quæ illam unguibus ſuis in altum vibret non aliter atque Accipiter pullum Gallinæ. Sunt hæc deriſione digna potius, quàm ſolida refu-

tatione. Et vel rariſſimum eſt illud Equiforme Monoceros, cujus idea nobis à teneris impreſſa, vel Fabulis adnumerandum. De eo ſanè nihil vel viderunt, vel audiuerunt, magni illi Hiſtoriæ naturalis Indicæ indagatores *Garcias ab Horto*, *Joh. Hugo Linſchot*, alii. Neque nos morabitur, aut imponet nobis Cornu illud, quod paſſim in Muſeis ſuſpenditur, & à circumforaneis oſtentatur, de quo certò conſtat, eſſe *Dentem* vel *Cornu* Piſcis ex *Cetaceo* genere *Narhual* dicti, de quo duæ extant Diſſertationes Authore *Tychone Laſſen Tychonio* Hafniæ 1707. cujusue Iconem dedimus Tab. XVI. operis noſtri.

Pergo ad *Bootii* ſententiam, cui *Reem* eſt *Urus*. Anſam ei & argumenta dat inprimis conſociatio *Reem* & *Boum* obuia Pſal. XXIX. 6. Deut. XXXIII. 17. Jeſ. XXXIV. 7. Inprimis autem urget ille Pſal. XXII. 13. 14. 17. & 21. 22. ibi namque legitur: *Tauri multi circumdederunt me, prævalidi ex Baſan undique cinxerunt me. Aperuerunt contra me os ſuum, ſicut Leo rapiens & rugiens —— Nam circumdederunt me Canes:* hîc: *ſerua me ab ore Leonis, & à cornibus Unicornium eripe me.* Reſpondent namque preces grauamini. Ibi querelas mouet Dauid, Meſſiæ Typus, de canibus, Leonibus, Tauris, & Bobus prævalidis, hîc de Canibus, Leonibus, & Unicornibus. Eſſe per conſequens *Reemim* ipſos *Tauros* & *Boues* Baſaniticos, *Uros* nempe Boum fortiſſimos, maximos, ferociſſimos. Sed contra obſeruat *Bochartus*, eſſe Urum Animal Orientalibus populis & Regionibus prorſus ignotum, de eo proin nihil extare apud Scriptores veteres Græcos, Arabes, Perſas, Æthiopas, imo & Romanos ante Julium Cæſarem, Romanorumue expeditiones in Germaniam, nam Uros hi primùm offenderunt in Hercynia Sylua Tab. CCCXIV.

Bochartus ut inueniat Reem, quærit id in *Caprearum* Familia. Tollunt ei ante omnia præjudicium de unico Cornu bina Scripturæ Loca: unus extat Deuter. XXXIII. 17. *Cornua* Joſephi *ut cornua Unicornis* רְאֵם *quibus populos deturbabit pariter usque ad fines Terræ, atque hæc ſunt decem millia Ephraim, & iſta millia Manaſſe.* Alter Pſ. XXII. 22. *à Cornibus Unicornium eripe me. (à Cornibus Unicornium humilitatem meam.)* Docent porrò *Alcamus*, *Damir*, Arabes alii, adhuc dum *rim* vel *aram* notare *capream candidam:* Chaldæi Interpretes, *Jonathan* & *Onkelos*, Rabbinici Doctores in *Baua Bathra* & *Zebachim*, eſſe *Reem* inter *Capreas*, *Abenezra* in Pſ. XXII. 22. inter *Ibices*, quæ & ipſæ in Caprino ſunt genere, vel Ceruino. Plus, quàm Cornua, faceſſit negotii viro eruditiſſimo complexus reliquarum Reem proprietatum, magnitudinis præprimis & roboris. Ut & hunc nodum ſoluat, extendit is *Capreæ* & *Dorcadis* nomen etiam ad majora illius familiæ animantia, ſpeciatim *Damas platycerotas*, & Prophetiæ Bileami hunc dat ſenſum: quemadmodum Arabum Reem nobis hactenus ignotum præ aliis Capreis magnitudine excellat, ita quoque Iſraelis gloriam præ aliis populis vicinis fore majorem, ita quoque robore prævaliturum atque potentia aliis: & robur Reem non tam conferendum eſſe cum omnium Terræ Animantium robore, ſed in Contradictorio ponendum cum Capreis aliis ſeu Ceruis. Oſtendit autem ex *Gesnero Animal. Quadrup.* p. 306. Damas cornibus ſuis latis longis & acutis adoriri ſolere alias Beſtias.

Frontibus aduerſis molles concurrere Damas
Vidimus, & fati ſorte jacere pari.

Mart. L. IV. Epigr. 55. & 77. idem

Aſpice imbelles tentent quàm fortia Damæ
Prælia? tam timidis quanta ſit ira feris?
In Mortem paruis concurrere frontibus audent,
Vis, Cæſar, Damis parcere, mitte Canes.

Non vult tamen *Bochartus*, eſſe Reem præciſè Damam, ſed potius aliud & ferocius magis genus *Caprearum*, vel *Caprarum*, *Oryx* dictum, de quo iterum *Martialis* L. XIII. *Epigr.* 95.

Matutinarum non ultima præda ferarum
Sæuus Oryx, conſtat quot mihi morte Canum?

Tribuit *Oppianus Cyneget.* Libr. II. v. 455. Animali huic colorem lacteum, cornua acuta, naturam ferocem, robur ingens, quod & erga Apros, Leones, Urſos exercet.

Θυμὸς δ' αὖτ' ὀρύγεσσιν &c. Quæ ita Latine.

Mens Orygum intrepida eſt, animusque ad prælia natus.
Nam neque terret eos canis allatrantis hiatus:
Nec ſcopulos metuunt apro frendente ſonantes:
Sed neque cum Taurus graue mugiit ore minaci
Aut trucibus pardi ſyluas ululatibus implent:
Nec fugiunt, poſtquam accenſâ Leo rugiit irâ:
Non homines, tanta eſt animi fiducia, curant.
Sæpe etiam genus acre Orygum telo impetere auſus
Robuſtus venator obit, de rupe volutus.

Argumentis his à *Bocharto* pro Oryge adlatis id addo, adhuc dum Arabibus & Turcis *riim* in Plur. *eram* notare *Capreas* niuei candoris, locis

NUMER. cap. XXIII. v. 24.
Leo et Leæna Ἀγέλαοι.

IV. Buch Mosis Cap. XXIII. v. 24.
Starcke und raubérische Löwen.

M. Tyroff sculp.

cis præſertim arenoſis gaudentes. *Meninzk. Lex.* p. 2410.

Stant, quod vidimus, hinc inde pro ſua quauis opinione fortes Athletæ, ut quæ omnium ſit optima, non perſpicere liceat illicò. Eruditionem ſi ſpectes, transibis ad *Bocharti* caſtra, ſi naturam ejusque ſimplicitatem, fauebo Rhinoceroti, cui & cum Latina noſtra Verſione ſubſcribo, tantò quidem magis, quod viderim magnum *Ludolfum* in *Hiſtoria Æthiopiæ* ſtare ex parte *Bocharti*, in *Commentario* verò ſuffragium dare *Rhinoceroti*.

TAB. CCCXVI.

Num. Cap. XXIII. verſ. 24.

En populus (ille) conſurget ut Leæna, & veluti Leo ſeſe eriget, non accubabit, donec comedat quædam, & ſanguinem occiſorum bibat.

Ecce populus ut Leæna conſurget, & quaſi Leo erigetur: non accubabit, donec deuorat prædam, & occiſorum ſanguinem bibat.

SUpra Gen. XLIX. 9. vaticinatus eſt moriens ex Patriarchis Jacobus de prima Tribu Juda, quæ prima ſtetit in acie, prima Bellum geſſit contra Canaanitas, Joſua Duce mortuo primum dedit populo Liberatorem Othnielem, poſt Familiam Regiam, tandemque toti Humano Generi Meſſiam. *Catulus Leonis Jehuda, de præda fili mi aſcendiſti; demiſit ſe & accubuit veluti Leo, & veluti Leæna, quis excitabit eum? (Catulus Leonis Juda: ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum)* Nunc applicatur idem fere Vaticinium toti populo Iſraelitico, Locutionibus fundatis ipſa Naturâ Leonis, de quo notum, ex Sacro Codice, Scriptoribus profanis, Experientia, eſſe Animalium generoſiſſimum, fortiſſimum, nobiliſſimum, Regio inter ea titulo præeminens. *Quid Leone fortius?* ajunt, quærunt, ſimulque Simſoni reſpondent Thimnathitæ illi Jud. XIV. 18. *Leo, qui Heros eſt inter belluas, nec à cujusquam conſpectu fugit, (Leo fortiſſimus Beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum)* verba ſunt ſapientiſſimi Regum Prov. XXX. 30. Hinc & à Junone inter Sidera fuit collocatus apud *Aratum*, adhuc inter XII. Zodiaci ſigna conſpicuus. Et cluet, de qua nunc, *Leæna*, apud *Ælian. var.* L. XII. c. 39. ἀλκιμώτατόν τε καὶ δυσμαχώτατον θηρίον. Dabitur paſſim de his illisue ſeu virtutibus ſeu proprietatibus loquendi commoda occaſio.

Scire conuenit, pro Textus explicatione, degere Leones in montibus & ſyluis altioribus. *Facta eſt mihi hæreditas mea, ſicut Leo in nemore.* Jer. XII. 8. *Mecum à Libano ſponſa, mecum à Libano venias, & ſpectes è vertice Amana, è vertice Senir & Hermon, è luſtris Leonum, è montibus Pardorum. (Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum)* Cant. IV. 8. *Theocritus Idyll.* 1.

Τῆνον χ' ὡ κ' ὀρυμοῖο Λέων ἀνέκλαυσε θανόντα.

Etiam morientem illum Leo ex Sylua fleuit.

Ex nemoribus hiſce montoſis demittunt ſeſe Leones in planities, prædam venaturi, qua ſatiati *conſurgunt* & ſeſe *erigunt*, ſiue ad ſpeluncas ſuas ſe recipiunt. Hinc varia Beſtiæ hujus Epitheta, λέων ὀρεσίτροφος, *Leo in montibus nutritus. Homer. Iliad.* μ'. ἐν ὄρεσιν ὠμοφάγος λὶς, *in montibus crudiuorus Leo. Theocrit. Idyll.* 13. ὀρέσβιος λέαινα, *montana Leæna. Oppian.* L. III. *Cyneg.* λέων ὀρεἰδρομος, *Leo in montibus currens. Nonn. Dionyſ.* L. V. Obſeruandum inſuper, in Animalium rapacium familiis, fœmellas ut plurimùm fortiores eſſe & ferociores maribus, utpote quæ non ſolùm pro ſe ſed & pro catulis victum quærunt. Ita heic Leæna. ἡ δὴ λέαινα ἐὸν ἰσχυρότατον καὶ θρασύτατον. *Herodot.* L. III. c. 108. *Animalium acerrimum Leæna & audaciſſimum. Gellius.* Hinc eſt, quòd non tam ſolita fuerit gloriari *Semiramis* de Leone aut Pardo occiſis, quàm de Leæna, apud *Ælian. var.* L. XII. c. 39. Et in Sacris frequens fit roboris Leonini mentio.

Non accubabit, donec comedat prædam, & ſanguinem occiſorum bibat. Loquendi formula Orientalis, qua Propheta vaticinatur victorias illas à Joſua de Cananæis reportatas, ſanè omnibus numeris abſolutas: ut non intelligenda ſit crudelitas Scythis illis, imo plerisque Orientalibus populis familiaris. Ita Regius Pſaltes Pſ. LVIII. 11. *Lætabitur juſtus, quum viderit ultionem, pedes ſuos in ſanguine impii lauabit. (Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.)*

TAB. CCCXVII. CCCXVIII.

Num. Cap. XXIV. verſ. 5. 6.

5. Quam pulchra ſunt Tentoria tua, o Jacob, habitationes tuæ, o Iſrael?
6. Quemadmodum Torrentes extenduntur, & ſicut Horti ad Flumina, ſicut Aloe, quam plantauit DOMINUS, & ſicut Cedri juxta Aquas.

5. Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael:
6. Ut valles nemoroſæ, ut horti juxta fluuios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi Cedri prope Aquas.

QUi unquam, vel ullibi, ex prælti Montis vertice vidit περίχωρον, ei adæquata videbitur Naturæ Bileami locutio. Vidit Propheta ex vertice Montis *Peor* Iſraelitarum omnia Caſtra ex Diuina ordinatione poſita, vias inter ea, Tribus omnes & ſingulas, veluti in Perſpectiua, omnia pulcherrimo ordine locata, & comparat commodiſſimè cum *Torrentibus*, qui *extenduntur* per integram aliquam Prouinciam longo ductu, cum Hortis ad Flumina. Notandum ſtatim, in Climatibus illis Orientalibus & præcalidis Hortos commodiſſimè locari ad Flumina. Hunc ſitum commendant delectatio & Uſus, imo præcipit neceſſitas. Hinc & in Europæ Climatibus, inprimis calidioribus, vel & temperatis, videas ad Lacus & Flumina jucundo ſpectaculo Hortos, Vineas, Prata pomifera, Ædes magnis ſæpe ſumptibus conſtructas, urgente præſertim Æſtate habitari ſolitas. Adeſt Aqua ad Plantarum irrigationem, ſpirat ſemper Aura lenis. Transfer te, mente ſaltem, in Regiones Aſiaticas, videbis eò eſſe neceſſarium magis hunc ſitum πάχυδρον, quò illæ ſunt viciniores Æquatori. Neque eſt dubium, quin longo Euphratis ductu, unde Bileamus venerat, fuerit longa & jucundiſſima hujusmodi Hortorum, ut Patauium inter & Venetias, ſeries. Climatum frigidiorum alia eſt ratio: delectant Æſtate ſumma Horti Aquis adſiti, ſed læduntur facile verno tempore & autumnali à frigore, contra quod muris ſæpe muniri debent. Exemplo nobis ſunto Vineæ Lacui Tigurino & Limago adſitæ, omnium, quas quidem colimus, amœniſſimæ & præſtantiſſimæ, pruinis & harum damnis magis, quàm quæ remotiores ſunt ab Aquis, expoſitæ. Plures namque heic volitant vapores aquei, major adeſt Aeris quies, Frigoris facilior ſenſus.

Pergit vaticinando Balaam, Tentoria Iſraelis comparans cum *Aloe*, *quam plantauit* DOMINUS. In textu Originali legis אֲהָלִים *ahalim*, de cujus vocis ſenſu non concordant Interpretes. Habent LXX *oholim*, redduntque per *Tentoria*, ὡσεὶ σκηναὶ, ita & Vulgata, *ut tentoria*. Sed ex ſequentibus proximè verbis colligitur rectè, eſſe אֲהָלִים plantam, eamque odoris pergrati. Conſtat id ex Pſ. XLV. 9. *Myrrham, Aloen,* וַאֲהָלוֹת *& Caſſiam* redolent omnia veſtimenta tua. (*Myrrha & gutta & Caſia à veſtimentis tuis*) Prov. VII. 17. *Cubile meum odoratum reddidi Myrrha, Aloe* אֲהָלִים *& Cinnamomo.* (*Aſperſi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo.*) Cant. IV. 14. *Nardus & Crocus, Fiſtula & Cinnamomum, cum omnibus Arboribus thuriferis, Myrrha & Aloe* אֲהָלוֹת *cum omnibus præſtantiſſimis aromatibus.* (*Nardus & Crocus, fiſtula & cinnamomum, cum uniuerſis lignis Libani, & myrrha & aloe, cum omnibus primis unguentis.*) Sed quæritur nunc, qualisnam ſit hæc ſeu Radix, ſeu Herba, ſeu Arbor? Subdubitaſſe videntur LXX. qui in Pſalmis reddunt per σκηνὴν, in Cantico per Ἀλωὴν. *Symmacho* placet generale *Suffimenti* nomen, θυμίαμα. Utraque noſtra Verſio citatis omnibus Locis habet *Aloen*, quæ vox ipſi Originali eſt affinis. Seligunt alii *Lignum Aloes*, *Agallochum* dictum. Tab. 317. Fig. A. *Aloen* ipſam Herbam (Fig. B.) excludere videtur τὸ βαρύοσμον. *Dioſc.* L. III. c. 25. eſt ſanè ingrati & grauis odoris atque ſaporis, neque veſtibus ſuffiendis apta. Quapropter Arabs Erpenianus reddit per קשט, *Coſtus*, cui ſubſcribit *Clericus Comm.* Eſt autem Planta hæc amœna viſu, grata odore, radix inprimis, *Unguentis* odoratis, ſpeciatim *Nardino* ſiue *foliato*, imo *Regali*, quod Parthorum Regum fuit, adhibita. *Plin.* L. XIII. c. 1. 2. Sed non vacat nunc, ex collatione Scriptorum Veterum atque Recentiorum inquirere fuſius, qualisnam ſit Planta *Coſtus Arabicus*, & an Veterum ille idem ſit cum hodierno, de quo valde dubitat, qui rem hanc fuſè pertractat, *Salmaſius Hyl. Jatr.* c. 88. p. 128. Ludunt ipſi moderni in voce *Coſti*, *Coſtus corticoſus* eſt, quem *Winteranum* vulgò *Corti-*

NUMER. Cap. XXIV. v. 5. 6.
Aloe ad Aquas.

IV. Buch Mosis Cap. XXIV. v. 5. 6.
Aloe am Wasser.

I.G. Pintz sculp.

NUM. cap. XXIV. v. 5. 6.
Santalum, Costus, Cedrus.

IV. Buch Mosis Cap. XXIV. v. 5. 6.
Sandel-Baum, Costus und Ceder.

G. D. Heüman sculps.

NUMER. Cap. XXIV. v. 9.
Leo dormiens.

IV. Buch Moſis Cap. XXIV. v. 9.
Der ſchlaffende Löwe.

I.G. Pinz sculp.

Corticem vocant, ſeu *Cinnamomum album, Canelle blanche. Coſti Arabicæ* Iconem exhibet Tab. CCCXVIII. Fig. C. *ex Pomet Hiſt. des Drog.* L. II. c. 8. p. 59. Quicquid autem ſit Ahalim, ut ſunt, qui *Lignum Santalum* Fig. D. intelligi volunt, certum id eſt, creſcere in Arabia, & vicinis ei Regionibus & ſponte. Colligi id poteſt ex Textu, in quo legas, *Aloem plantatam* eſſe à DOMINO, id eſt, *nullis hominum cogentibus*, ut *Virgiliana* Phraſi utar. Eſt hic primus modorum, quos legas apud *Plinium* L. XVI. c. 33. *Arbores*, inquit, *quas Naturæ debemus, tribus modis naſcuntur, ſponte, aut ſemine, aut ab radice.* Proſternit hæc loquendi ratio Scripturæ familiaris, ὡς ἐν παῤῥόδῳ, Fulminis veluti ictu *Naturam*, de qua modò, aliaque hujus generis Idola, quæ Pagana excogitauit Superſtitio, imo quibus adhucdum Chriſtianorum Scholæ inundantur. DOMINUS plantauit Aloem, non Natura. Et eſt, ſi ſtructuræ infinitum attendas artificium, in qualibet, etiam minima, Planta obuium, Author, plantator, imo Creator infinitus DEUS. *Arbores DOMINI ſucco abundant* (velut) *Cedri in Libano, quas plantauit*, Pſ. CIV. 16. *(Saturabuntur ligna campi, & Cedri Libani quas plantauit.)*

Hic ipſe Loci hujus cum noſtro Textu parallelismus occaſionem fortè dedit Cl. *Hillero Hierophyt.* P. I. p. 394. אַהֲלִים interpretandi per *Cedros*, easque magnas, quæ *juxta Aquas* plantatæ haud dubiè proceriores, & magis ſemperque virentes ſunt iis, quæ creſcunt in montibus, illud ob altiorem Atmosphæram incumbentem, hoc propter ſucci nutritii abundantiam. Teſtes ſint vel in Regionibus noſtris Abietes, Larices, coniferæ pariter, ut Cedri, Arbores, quæ in Vallibus profundis, umbroſis, præſertim Aqua irriguis ſæpe ad 200. pedum altitudinem aſſurgunt, in editioribus autem Montibus, locisque ſiccioribus vix ad duos tresue pedes, imo tandem, ſupra certam Altitudinis lineam, prorſus non ultra creſcunt. Non eſt ſilentio prætereundus *Cedrorum* perennis viror, tribuendus ut Abietum ille & Laricum ſucci reſinoſi tenacitati, quaue ipſi quoque corruptioni reſiſtunt hujusmodi Arbores, adhibitæ propterea ſtructuris Arcæ Noachicæ, Templiue Salomonei. Unde paſſim in Sacris ipſa DEI Eccleſia comparari ſolet cum Cedris Libani. Sunt hæ *Cedri DEI* Pſ. LXXX. 11. *Juſtus ut Palma florebit, & ſicut Cedrus in Libano in altum ſuccreſcit* Pſ. XCII. 13. (*Juſtus ut Palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur*) Fig. E.

TAB. CCCXIX.

Num. Cap. XXIV. verſ. 8. 9.

8. DEUS eduxit eum ex Ægypto, robur (a) ejus ut Rhinocerotis, deuorabitque Gentes hoſtes ſuos, & oſſa eorum arrodet, (b) ſagittasque ſuas confringet.

(a) Alii: celeritas aut fortitudo Monocerotis.
(b) Alii: confringet, commoliet, Græci, emedullabit, ſi ita liceat, id eſt, exhauriet omne robur.

9. Accubat jacetque ut Leo, & quaſi Leæna, quis excitaret eum? Qui tibi fauſta imprecabitur, fauſta imprecabuntur eidem: qui verò te execratur, erit & is execratus.

8. Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis: deuorabunt Gentes hoſtes illius, oſſaque eorum confringent, & perforabunt ſagittis.

9. Accubans dormiuit ut Leo, & quaſi Leæna, quam ſuſcitare nullus audebit, qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus; qui maledixerit, in maledictione reputabitur.

Siſtunt ſeſe heic rurſum duæ ex fortiſſimis Belluæ, *Unicornu* & *Leo*, in Populi Iſraelitici & Victoriarum de Cananæis reportandarum ſymbola. De utroque ſupra actum. De *Leone* id memorandum heic unicè, non ſeſe recipere dormiturum in loca ſecretiora, abſcondita, ſed ſomno indulgere, ubicunque is obrepit, etiam in apertiſſimis campis.

Οὐδ' ὕπνον μυχάτοισιν ἔχει παρὰ τέρμασι πέτρης,
Ἀμφαδὸν ὑπνώει δὲ θρασύφρονα θυμὸν ἐλίσσων,
Εὖδει δ' ἔνθα κίχησιν ὑπείροχος ἑσπερίη νὺξ.

Nec ſomnum capit ad extremos ſcopuli terminos,
Quin dormit in propatulo, audacem animum verſans,
Dormitantem ubicunque eum eminus deprehendit veſpertina Nox.

Oppian. Venat. L. III. quaſi reſciret, non dari, qui eum excitare auſit. Ita quoque vaticinans *Jacobus* de filio & Tribu *Juda.* Gen. XLIX. 9. *Accubuit veluti Leo, & veluti Leæna, quis excitabit eum? (Requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum?)*

TAB. CCCXX.

Num. Cap. XXVI. verſ. 51. 62.

51. Iſti ſunt Cenſus filiorum Iſrael, ſexcenta millia, ſeptingenti & triginta.
62. Fuerunt autem cenſus eorum viginti tria millia, omnes ſcilicet mares ab eo, qui menſem erat natus & ſupra, non enim erant Cenſi inter filios Iſrael, eò quod non erat illis data hæreditas inter filios Iſrael.

51. Iſta eſt ſumma filiorum Iſrael, qui recenſiti ſunt, ſexcenta millia, & mille ſeptingenti triginta.
62. Fueruntque omnes qui numerati ſunt, viginti tria millia generis maſculini, ab uno menſe & ſupra: qui non ſunt recenſiti inter filios Iſrael, nec eis cum cæteris data poſſeſſio eſt.

STat nunc Hannibal ante Portas, *Iſrael in vaſtis Campis Moab ad Jordanem Jericho* v. 63. (*in campeſtribus Moab ſuper Jordanem contra Jericho.*) Finiti mox pœnitentiales Anni, quibus omnes Ægypto egreſſi in Deſerto obire debebant, exceptis duntaxat *Joſua* & *Calebo. Inter iſtos* enim *nullus fuit ex his, quos recenſuerunt Moſes & Aaron ſacerdos, quando recenſuerunt filios Iſrael in Deſerto Sinai. Dixerat enim de eis DOMINUS, omnino morientur in Deſerto, ne unus quidem ex eis reliquus fuit, niſi Caleb filius Jephunæ, & Jehoſua filius Nun.* v. 64. 65. (*Inter quos nullus fuit eorum, qui numerati ſunt à Moſe & Aaron in deſerto Sinai. Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in ſolitudine: nullusque remanſit ex eis, niſi Caleb filius Jephone, & Joſue filius Nun.*) Dispartienda mox promiſſa hæreditas inter rebellium filios, debebat autem ante fieri enumeratio hæredum, quam exercitii ergo in unam redigemus Summam, deſcendendo per Tribus ſingulas, ϛ ὡς παραλήλως ſiſtendo & priorem Computum & poſteriorem, ut uno veluti obtutu pateat ſingularum Tribuum augmentum & decrementum.

	NUM. I.		NUM. XXVI.
1.	RUBEN	46500.	43730.
2.	SIMEON	59300.	22200.
3.	LEVI	22300.	23000.
4.	JUDA	74600.	76500.
5.	ISASCHAR	54400.	64300.
6.	SEBULON	57400.	60500.
7.	GAD	45650.	40500.
8.	ASSER	41500.	53400.
9.	MANASSE	32200.	52700.
	EPHRAIM	40500.	32500.
10.	BENJAMIN	35400.	45600.
11.	DAN	62700.	64400.
12.	NAPHTHALI	53400.	45400.
	Summa	625850.	624730.

Patet ex hoc Parallelismo, non ſolùm non auctos fuiſſe Iſraelitas numero, ſed diminutos ita, ut differentia ſit 1120. Decrementi rationes non ſunt inuentu difficiles. Iter 40. annorum, ſed inprimis tot, quot ſuſtinuere, Plagæ multa Hominum millia breui temporis ſpatio abſumſere, ut mirum ſit, ex rebelli Natione, cujus ſubitaneam exterminationem interminatus fuerat DEUS haud ſemel, tot manſiſſe ſuperſtites. Adſunt præterea rationes, cur Ruben, Simeon, Gad, Ephraim, Naphthali decreuerint, ſed accreuerint Tribus aliæ, quas aliis inquirendas linquo. Obſeruamus, duplari præter propter, juxta ordinarium Naturæ curſum Homines Annorum 360. ſpatio. Juxta hanc Regulam debuiſſent 603550. Iſraelitis, non computatis Leuitis, ſpatio 39. Annorum inſuper addi 130769. proin prodirent 734319. Nam

360: 603550. X 2. = 1207100 :: 39 : 130769.

Horum autem 601730 qui natu ſunt minimi non ſunt Annis 59. ætate ſuperiores. Nam Num. I. ut & nunc numerati fuere vicenarii, & qui aſcenderunt ultra 20. annos: dant autem 39. anni Deſerti additis 20. annos 59.